DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

SENSIBILITATE PERSONNALI,

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Conſenſu atque Auctoritate Gratioſæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore ſuo omni honoris cultu proſequendo,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXX. D. APRIL.

Publicæ ac placidæ eruditorum ventilationi ſubjiciet

RESPONDENS

JOHANN SAMUEL EGGERS,

LUBENA-SILESIUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

PROOEMIUM.

PErvulgatum & verum dicterium *Dei omnia plena eſſe* non modo ad univerſitatem rerum ſe juſtiſſimo & perfectiſſimo ſenſu extendit, ſed & ab *Henr. a Bra in præf. Enumerationis medicamentorum ſimplicium ad Calculum* nervoſa profeſſione ad Hominem applicatur, quando aſſerit: *Nam ſive animæ eſſentiam, tot præclaris dotibus inſignitam, contempleris, ſive ad humani corporis ſtructuram, connexionem, ſymmetriam, pulchritudinem, ac denique ipſum animum intendas, non in his omnibus maxime ſpectabile bonitatis ac Sapientiæ Dei ſpecimen apparet?* unde non tantum *Protagoras & Theophraſtus hominem univerſi exemplar & epitomen*, ut *Bauhinus in orat. de homine & anatome humani corporis* commemorat, eſſe judicant, ſed & *Levinus Lemnius Lib. 1. de occ. nat. mirac. c. 2.* ſentit: *quicquid in mundo ſe profert, quamlibet concinne atque affa-*

bre factum, *nulla ratione comparari componique hominis præſtantiæ poteſt*, *adeo ut hinc præcipue ſumi voluerit ſui æſtimationem Deus*, *ſuæque Divinitatis Specimen exhibere mortalibus*, *hoc eſt*, *ex ſua cujusque mente ſuique notitia perduci nos voluit in cognitionem tantique operis reverentiam:* Et quemadmodum Homo ex duabus eſſentialibus & principalibus conſtat partibus Anima videlicet & Corpore, ita quoad utramque ſubſtantiam miraculoſum Dei & per hunc Naturæ eſt ſubjectum: & quod tantum inferioris partis rationem attinet, videlicet corporis conſtitutionem, tunc de eadem *Camerarius in Sylloge Memorabilium Cent. 1. partic. 75.* ſub titulo: *Homo Naturæ miraculum* eloquitur: *Barbarus ille Abdalas*, *interrogatus*, *quid in hac mundana ſcena maxime putaret admirabile*, *non barbare*, *ſed ſapienter reſpondiſſe fertur: humanum corpus ob majeſtatem omnem admirationis captum excedere*, *quippe cum Magni iſtius Mundi ſimulacrum ſit: conf. Laurentius in præf. Opp. anatom.* Inter alias qualitates, ad hominis ſtatum in hoc mundano ſyſtemate ſpectantes, pertinet ex parte mirabilis, ex parte notatu digna diverſitas animorum, Senſationum in- & externarum, Senſibilitatis quoad morales & vitales reſpectus, nec non ampliſſima ipſius corporis diſſimilitudo: hinc in vulgus nota eſt elocutio, *quot capita tot ſenſus!* aut ut *Plinius* eloquitur *Lib. 7. c. 12. Plures in homine*, *quam in cæteris omnibus animalibus differentiæ*, *quoniam velocitas cogitationum animique celeritas*, *ingeniique varietas multiformes notas imprimit:* & quod diſſimilitudinem Faciei humanæ attinet, tunc de eadem *Rhodiginus Lect. antiqv. Lib. 3. c. 12.* diſſerit: *illa vero cujusmodi*

laus

laus eſt, in humana facie, vultuque tantam agnoſci diverſitatem, ut inter tot millia hominum indiſcretas effigies reperire non ſit, aut rariſſime admodum ſeſe occaſio oſtentet, nec ab miraculo res abſit? Hujus obſervationis memores, non quidem multis teſtimoniis indigemus, interim adhuc ex aſſerto & conſenſu *Thomaſii* præſentem disquiſitionem defendimus; qui in *Fundamentis Juris Naturæ & Gentium Lib. 1. cap. 1. §. 102.* hanc profert poſitionem: *Singuli homines habent voluntates in paucis convenientes, in multis diverſiſſimas & ſæpe pugnantes & oppoſitas §. 103. nullus homo reperitur cujus voluntas conſpiret in omnibus cum voluntate alterius, §. 109. In eo homo a beſtiis maxime differt, ut cum illæ ſi congeneres ſint, vultum habeant proportione membrorum ac figura & ſitu ſimillimum, homines contra habeant facies ita diſſimiles, ut pro miraculo habeatur, ſi duorum hominum facies conveniant omnino.* De hac manifeſta vultus humani diſcrepantia in tam ineffabili individuorum numero, (licet inter comparate pauca ſubjecta eminens ſimilitudo & convenientia occurrere videatur,) ita diſſerit *Caſp. Rejeſ. Camp. Elyſ. juc. qv. 54. n. 5. tam multiplex ac varia in humana ſpecie accidit figuratio, ut non immerito inter naturæ miracula hoc, tanquam maxima admiratione dignum referat Plinius Lib. 7. cap. 1. jam in facie* (inquit) *vultuque noſtro, cum ſint decem, aut paulo plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiſcretas effigies exiſtere; quod ars nulla in paucis præſtat affectando: ſic itaque nulla in perexiguo vultus ſpatio facies alteri appoſite videatur, ita convenire, ut ſi attente inſpiciatur, notabilis non adnotetur differentia, qua individua diſtingui ac internoſci facile poſſent:* Quemadmo-

admodum vero hæc evidens differentia in corpore hominis occurrit, ita hoc loco notatu dignam illam diſcrepantiam, in animæ operationibus obviam, paululum meditationi ſubjicimus, quando non modo pro diverſitate & multifaria mixtione Temperamentorum mores & affectus hominum diſcrepant, ſed & in quolibet individuo differentia Senſuum internorum & externorum, quos anima rationalis ſpiritualis ſive immaterialis perficit & quibus ſe rationalem præbet, obtingit: inde eſt, ut quidam homines nunc in operatione memoriæ, nunc in ingenioſitate, nunc in inventione, comparatione, dijudicatione &c. excitatiores, alacriores, promptiores, exercitatiores, procliviores &c. exiſtant, imo in unum horum actuum magis propenſi, in eo etiam citius & expeditius agiles & operoſi obſerventur, quare diverſa individua ſpecialibus objectis citius & efficacius afficiuntur, quæ videlicet majorem illius mentalem occupationem & propenſionem concernunt, unde objecta talia movent ſenſus, videlicet tales excitatos & activos: Quare inter homines annotatur diſtincta Senſibilitas in diverſis functionibus mentalibus ſive Senſibus internis, ita ut nonnullos homines facile certa verba, judicia, theoremata, concluſa, demonſtrata &c. offendant, unde communia innotuere dicteria, es thäte einem in Ohren weh, es klinge übel, ſolche Sachen nur zu hören: quædam individua valde delicata ſunt in ipſis verbis percipiendis, trutinandis, varia interpretatione examinandis, comparandis, applicandis, de quibus valet communis elocutio, man könte ſolche

che Menſchen mit einen unſchuldigen Wort beleidigen und auf bringen: quidam homines certis verbis, argutis & nervoſis dictionibus ſingulari ratione & effectu commoveri poſſunt, ut huc quadantenus quadret illud effatum Salomoneum *Proverb. XXV. 11. Poma auri in figuris argenti eſt verbum dictum cum rationibus ſuis:* inde eſt cur verbis & certis elocutionibus benevolentiæ aliorum captentur, aliorum animus emolliatur, imo plane ſingulares effectus in foro medico fructuoſi & ſalubres obtineantur, daß man manche Menſchen geſund reden könne. Et quod breviſſimis de internorum Senſuum perſonali aut individuali diſcrepantia & ſubtilitate diximus, idem etiam valet de externorum Senſuum diſtincta applicatione & adminiſtratione, dum in facto certum firmumque eſt, unum hominem alterum ſenſu externo, citra organi conſpicuam aut demonſtrativam propollentem firmitatem, aut imbecillitatem ſuperare, ſiquidem in organis ſæpe nullum vitium, nullave mutatio invenitur, ſubinde etiam accuſatio differentis fabricæ, firmitatis & infirmitatis organi, aut materialis cujusdam qualitatis ſæpe magis articulis fidei, quam rationali demonſtrationi adſcribi meretur; hinc ipſo uſu magis compertum eſt, ut certa individua ſubtili modo ſeſe uni aut alteri ſenſui intenſius exercendo applicent, inde quædam acute vident, ſubtiliter olfaciunt, intenſius audiunt, delicatius guſtant, leviter ac facile tactum ſentiunt & ita diſcretam Senſibilitatem produnt; quale quid non modo in ſubjectis teneri oris conſtitutionis, ſed & craſſioris corporis obſervare

licet

licet,ut iterum fruſtranea ſpes & vanum refugium ſit, in cauſali hujus diſcriminis explicatione ad commune illud generis nervoſi aſylum confugere velle, dum omnium notitiæ ac conſenſui manifeſtum eſt, quid in aliquo opere alacrius perficiendo, crebra & aſſidua applicatio valeat: Hæc cum ita in veritate facti firma rataque ſint, facile a majori ad minus concludendo veritas inclareſcet, quod videlicet notatu digna perceptionis diverſitas in œconomia naturali occurrat, quæ in Scientia & obſervatione Medica non modo certa & vera eſt, ſed & in uſu & applicatione practica multum utilitatis promittit: Eam ob cauſam præſenti Inaugurali themate de SENSIBILITATE PERSONALI breviter diſſerere ſuſcepimus. Annuat inſtituto noſtro DEUS Benigniſſimus, ut ad exoptatum & ſalutarem ſcopum pertendat.

§. I.

NE in themate noſtro, ratione *notionum* obſcuritas quædam fluctuare videatur, neceſſitas inſtituti & ordinis requirit, quo rationem reddamus, quid per *Senſibilitatem Perſonalem* intelligi velimus; vocamus itaque illam, *Perceptionem objectorum & ſubjectorum, corpus hujusque œconomiam naturalem concernentium, celerem æque ac quadantenus admodum activam, utplurimum impatientem, pro diverſitate hominum variis agendi & dirigendi modis, uſibus atque finibus ſtipatam:* De *puritate* vocis non diſceptamus, cum Senſilitatis & *ſenſibilitatis* notio *Medicis* magis, quam Grammaticis uſualis, notatione vero ſua *reali* haud obſcura exiſtat, dum in

gene-

generali ſuo ſignificatu complectitur præcocem, fugacem, acutam, ac cum vario affectu conjunctam obvii objecti *obſervationem;* & hic quidem actus *ſubitaneæ* ac *promptæ* objecti cujusdam animadverſionis in *qualibet* Senſibilitate *antecedit*, unde de diverſis ſubjectis & individuis aſſeritur, quod nonnullas *res*, *voces*, quosdam *reſpectus* tam *ſubito* apprehendant; requirit itaque hæc *animæ facultas*, quæ Senſibilitas audit, aſſiduam, *activam* & vigilantem attentionem & intentionem ad objecta, organis *ſenſitivis* obvia, ita ut tale objectum hoc organon neque *diu*, neque *fortiter* afficere debeat, quin *principium* Sentiens illud *confeſtim* & ita quidem advertat, ut illius *certam* præſentiam ac minorem & *leviorem* etiam *relationem* atque operationem percipiat: Inde homines ſenſiles aut *ſenſibiles* dicuntur, qui *cito* ab aliquo objecto *affici* & alterari ſolent: Hæc Senſibilitas vero non in *nuda*, aut abſtracta alicujus objecti præſentis *ſubtili* agnitione & *perceptione* acquieſcit, neque actus eſt *crudæ*, *craſſæ* aut arbitrariæ *imaginationis* ac *reflexivæ* cogitationis, ſed ſatis *ſubtilis*, tacita, *intrinſeca* & velox, cum *æſtimatione* vero quadam conjuncta eſt mentis operatio, ita ut objecta, quæ percipiuntur affectu *ſuavitatis* & acceptæ amœnitatis aut *amoris*, vel contra *odii*, *averſionis*, nauſeæ ac faſtidii tractentur & profligentur; unde in reliquis actionibus *connexis*, ſive objecta *moralia*, ſive *phyſica* & materialia concernant, *conſpirans* quædam *alteratio* confeſtim concurrit, adeo, ut talis Senſibilitas ſatis *magnæ* ſit efficaciæ ac poteſtatis, ſecundum *commune dicterium* & teſtimonium, quod *ſenſibiles* homines facile *valde offendi*, commoveri & alterari queant: Sicut itaque talis Senſibilitas in *præcipitata* & perquam *alacri* activitate conſiſtit, ita in toto ſuo pro-

B ceſſu

ceſſu *ſimilium* graduum & qualitatum *motus* in *conſenſum* trahit: neque quidem *objectum* hujus Senſibilitatis *craſſius* & *potentius*, ſive *ideale*, ſive *materiale* fuerit principium ſentiens, afficere debet, ſed utplurimum hæc Senſibilitas circa *levem* cauſam, quam ipſa tamen *magni* æſtimat, occupata eſt: Loquimur vero hoc themate *primario* de illa Senſibilitate, quæ *corporis* œconomiam *naturalem* & ſtatum *Vitæ* ac *Sanitatis* concernit, quando videlicet aut ſub comparate *integra*, aut *vacillante* & *deflectente*, aut plane læſa & inverſa ſanitate, objecta *varia* obvia, hoc actu *ſenſitivæ* perceptionis *prædictis* qualitatibus apprehenduntur & quoad *reliquam* tractationem diriguntur, diſcernuntur & applicantur: quemadmodum vero ipſa hæc Senſibilitas *præceps* eſt actio, ita utplurimum hanc præcipitantiam haud *omnimode* exoptatus & *ſalubris* ſucceſſus & decurſus comitatur, ſed multæ *perverſæ* conſecutiones inde metuendæ veniunt: ex hiſce generalibus reſpectibus facile eluceſcit, quod *Senſibilitas hæc ſit actio animæ aut bene, aut ægre objecti cujusdam vel moralis vel phyſici, aut tantum animam, aut corpus etiam attinentis, vel veram, vel apparentem, vel præſumtam & imaginariam præſentiam ſubitaneo affectu percipiens & æſtimans:* Proinde etiam hanc Senſibilitatem in titulo nominamus *Perſonalem*, *vario* pariter reſpectu, partim ſenſu *univerſali*, quia *nullum ferme* invenitur ſubjectum, in quo non *comparate* modo *mitior* & tractabilior, modo *acutior* & eminentior talis Senſibilitas præſto ſit, ita ut hæc affectio *perſonalis* exiſtat, ac *cuilibet* familiaris; deinde quia partim ſenſu *reſtricto* certis perſonis ac *individuis* certus veluti character eſt, quo in *naturali* hoc ſtatu vitae animalis ſubjecta a ſe invicem *diſcernun-*

cernuntur, ut illorum *ſpecialis* modus objecta obvia admittendi, æſtimandi ac tractandi intelligatur; partim denique quia hæc Senſibilitas in *majori* gradu conſtituta, non quidem univerſalis, attamen *perſonalis* & *individualis*, aut in *certis perſonis* diſtincte *eminens* exiſtit, a qua proinde in talibus ſubjectis variae aliae *mutationes* ac diverſi *effectus*, *reſpectus*, *modi* procedendi, *methodi*, *inventiones*, *proſecutiones* & *fines* derivari poſſunt & debent: Hæ *generales* animadverſiones, præter reliquas deductiones ad tituli *illuſtrationem* quadantenus quadrant & inſerviunt.

§. II.

Hæc obſervatio de Senſibilitate Perſonali in *Veritate Facti certa* & *indubia* eſt, ita, ut medici in *cauſali* effectuum & phænomenorum explicatione *diſſentientes*, haud tamen & *exiſtentiam* & *diſcrepantiam* hujus Senſibilitatis abnegent; unde *exclamationes* illae invaluere & innotuere, quod hoc aut illud Subjectum admodum *delicate*, *leniter* & circumſpecte tractari debeat, quod methodis & medicamentis *fortioribus* affici *haud* debeant &c. ne tamen quisquam autumet, quod hæc obſervatio in *nuda cognitione facti* ſubſiſtat, aut non multum ad uſum *Medicum* conferat, adeoque *rarius* occurrentibus ſubjectorum qualitatibus accenſeri mereatur, eapropter *dignitatem* ac *utilitatem* hujus obſervationis aliquot *rationibus* & momentis demonſtrare & confirmare volumus: 1) itaque hæc annotatio probat, quod in œconomia *vitali* præter corpoporum & *materiarum* reſpectus & qualitates, etiam *aliæ* affectiones inquirendae, conciliandae & dijudicandae ſint, cujus cenſus haec *Senſibilitas* exiſtit, quae dum quoad *formalem* ſuam rationem in ſubtili *perceptione* conſiſtit, ita

ratione *genuinæ* ſuae conditionis & *exiſtentiæ*, nec non *originis* ad *alium*, quam phyſicum & materialem reſpectum pertinet: 2) teſtatur haec obſervatio ſatis manifeſtum *influxum activum*, admodum efficacem, *animæ* rationalis, *immaterialis*, in *corpus* humanum, & quidem ſub *hiſce* reſpectibus *a*) quod haec Senſibilitas ſit *operatio* ejusdem *animæ*. *b*) quod eadem Senſibilitas in *generica* conſideratione in *varias partes* corporis & *functiones poteſtatem* ſuam exerceat: quos utrosque reſpectus in reliqua deductione fuſius demonſtrabimus: inde vero iterum *duplex* veritas eluceſcit *α*) quod *anima rationalis* influxum ſuum *activum* in tales *partes* & *functiones* tueatur: *β*) quod eadem ad talem influxum neque *craſſa* cogitatione, aut *repræſentativo* intellectu, neque *arbitraria* & libera voluntate indigeat: 3) haec obſervatio porro propalat in variis *alterationibus morboſis* genuinam cauſam, quae *motibus* & *materiis* efficaciſſime *corrumpendis* quadrat, qua cognita prudens medicus non *præpoſtere* conſiliis & auxiliis ſuis operatur, ſed huic cauſae connivendo, indulgendo, placando, leniendo & demulcendo *plus aliquando* in *motuum* reliquorum & *materiarum* correctione, quam alia methodo operatur & perficit: 4) eadem obſervatio notatu & imitatu dignas *cautelas practicas* ſubminiſtrat, ſub quibus paulo *facilius* ad *proſperum* ſucceſſum & eventum in morborum curatione pervenire licet, ut videlicet ſub *placidiori* motuum progreſſu & meliori ac certiori *virium* praeſentia officia medica perducantur: 5) haec obſervatio reddit medicum circumſpectum, ne *temerario* auſu aegrotantes obruat, effectus & fines quosdam *præcipitet* & acceleret, *fortioribus* remediis ſcopos ſuos urgeat & proſequatur,

quatur,neve tentaminibus & *experimentis nimium* aut *facile* fidat, vires ſubjectorum potentius invadat,neque denique naturas hominum *cogat*, ſed potius *blande* & *placide* ducat. 6) inſtruit etiam medicum, quo in *ſubjectorum* aegrotorum ſcrutatione *provide*, attamen etiam attente & *judicioſe* procedat,ne circumſtantias,quae *levioris* momenti eſſe videntur,incurioſius & *negligentius* aeſtimet: 7) imprimis haec annotatio inculcat *præeminentiam* disquiſitionis alteratorum *motuum* in œconomia *vitali* & quam *intricati* ac periculoſi inde effectus pendeant, quibus aliquando *avertendis* in juſto *nexu* & linea adſcendente tales *motuum*,imo ejusdem *Senſibilitatis*, offenſiones præoccupandæ ſunt: 8) inde etiam ex parte formari & informari poteſt *judicium practicum* de ratione *remediorum* ad *ſubjecta* ægrotantia, ne *empirica* medicamentorum commentatio ſeligatur, quoniam *unum* remedium *omnibus* ſubjectis & reſpectibus congruere & *ſatisfacere* haud poteſt,unde non raro contingit,ut in *eodem* morbo unum remedium uni *proſit*, alteri obſit: 9) hujus obſervationis ſollicita applicatio & imitatio præſervat medicum, ne *ordinem* naturæ,ſub quo *ſalutares* effectus & decurſus adhuc expectandi ſunt,*violet* & turbet: 10) neve etiam *arduas* morborum circumſtantias *novis intricatis* & periculoſis ſymptomatibus, ex *perſonalis Senſibilitatis* offenſione profluentibus,accumulet: 11) inſervit proinde eadem obſervatio ad *Hiſtoriæ Morborum* Medicæ in *individuis* & praxi clinica *complementum* & perfectionem, ſecundum quam qualitatem *reliquæ* obſervationes medicæ dijudicari poſſunt,in *quantum* & quo usque *fides* & applicatio ac *imitatio* eidem tribuenda ſit: denique 12) hæc obſervatio mul-

tum lucis affundit diſquiſitioni *idioſyncraſiæ*, *hæreditariæ diſpoſitionis*, communicationis *macrocoſmi* cum *microcoſmo*, *ſympathiæ*, *vis imaginariæ* in corpus humanum, affectuum *Lunaticorum* &c. qualia phœnomena in foro *medico* hactenus *diverſis* ſententiis explicata, quoad *cauſalem* hanc diſquiſitionem multis *paralogiſmis*, *incongruis* judiciis & difficultatibus obnoxia fuere: ex quibus omnibus facile inclareſcet, quod præſens tractatio *multum uſum* in foro medico promittat.

§. III.

Ne tamen *hæc* Senſibilitas, quæ *perſonalis* aut *individualis* eſt, cum *aliis* aut *animæ*, aut *corporis* facultatibus & qualitatibus *confundatur*, neceſſe eſt, quo aliquas *differentias*, in hac tractatione notatu dignas, præmittamus; quam ob rem *ſpecialiſſima* conſideratione hanc Senſibilitatem aliquatenus adhuc diſtinguimus a *Senſu* illo, quem *D. D. Præſes vitalem* nominavit, demonſtravit & peculiari *diſſertatione* confirmavit, quo Senſu Natura *in œconomia vitali* ad *percipienda* objecta, *interdum* corporis regionem afficientia, an *ſalubria*, an vero *pernicioſa* exiſtant, in *genere* inſtructa eſt & ſicut *nervi Senſus* & *motus* genuinum ſunt inſtrumentum, ita *ſingulæ* partes, *nervis* præditæ hoc *Senſu vitali* inſtructæ deprehenduntur, qui, licet *ordinario ſubtilis* exiſtat, *craſſo* tamen phænomeno *Dolorum* ſeſe prodit: quare partibus talibus minime *ſubtilior* perceptio denegari poteſt, ſiquidem aliàs proceſſus *Senſationis* cum objectis nunc *craſſius* & fortius, nunc *lenius* & *ſubtilius* afficientibus, commercium habet: & talis *Senſus vitalis* in ordinario & *communi* hominum ſtatu *omnibus* ſubjectis familiaris eſt, ni ob valde *morboſam* & *periculoſam* cauſam, in

lethali

lethali utplurimum ſtatu ille etiam langueſcat, aut plane expiret, ut ita *extreme* ægrotantes ſenſu nunc *deſtituti* quadantenus videantur, de quibus dicere ſolent, Sie wären gantz unempfindlich; aliàs hoc Senſu *ſani* & *mediocriter* ægri *utplurimum* præditi ſunt: hæc Senſibilitas vero, non ita *promiſcua*, univerſalis & *communis* exiſtit; & licet *comparate* in œconomia *vitali multi* homines tali Senſibilitate inſtructi deprehendantur, tamen illa per *individua* diſcrepat, tam ratione *partium*, quam *functionum*: interim in eo *utraque* operatio *convenit*, quod *mediante hoc* Senſu *vitali illa* Senſibilitas adminiſtretur, ſicut mediante tonico motu, pulſus cordis, concoctio, inteſtinorum periſtalſis, ſe- & excretoria functio & nutritio perficitur: unde in hac Senſibilitate *augmentum* Senſus vitalis obtingit: Deinde Senſibilitas perſonalis differt a *teneritudine* corporis, ita, ut illius *formalitas*, haud in hac *mollitie*, *gracilitate* & *ſubtilitate* corporis conſiſtat; & licet aliquoties *utraque* qualitas conjuncta ſit, tamen iterum una cum altera confundi haud debet: Senſibilitas enim in expedita & celeri *activitate* & perceptione, *corporis* vero teneritudo in *materiali* partium mole & *extenſione* minori conſiſtit: quemadmodum itaque *motus* & *materia*, *anima* & *corpus*, *rationalis* actio & affectio *materiæ* diſcrepant, ita *Senſibilitas* & *teneritudo* corporis differunt: hinc ſatis ſæpe homines corpore *firmo* & procero inſtructi occurrunt, qui tamen valde *ſenſiles* ſunt: imo *inverſa* ratione dantur ſubjecta, corpore *tenero* & parvo prædita, quæ *minus* ſenſibilia exiſtunt: attamen quia *nervi* & nervoſæ partes *teneriores* ac graciliores, *flexiliores* & *mobiliores* ſunt, *ſenſatio* vero *nervis*, utpote *inſtrumento* utitur, ita cum nervis *tenerioribus* anima *facile expeditiori*, cele-

rio-

riori & promptiori activitati ſenſitivæ adſueſcit, inde venit, ut *major* ſenſibilitas cum corpore *teneriori aliquando* conſpiret & conveniat: Multo minus hæc Senſibilitas cum *debilitate*, aut infirmitate confundi debet, ſiquidem *illa* actio in ſua ſphæra *admodum alacris* eſt, quemadmodum *hæc* non raro cum aliis *intenſioribus*, œconomiam *corporis* concernentibus, commotionibus conjuncta eſt; veluti fortioribus motibus *ſanguinis*, auctioribus *evacuationibus*, commotionibus *febrilibus*, *congeſtionibus*, *inflammationibus*, *ſpaſmis*, *convulſionibus*; qui ſinguli motus cum *imbecillitate* haud conveniunt: & licet ſenſibiles ægrotantes in *una* aut *altera* parte & functione debilitate *quadam* laborent, tamen in *aliis* partibus & functionibus illa *Senſibilitas* ſatis *operoſa* eſſe deprehenditur; quando vero *totalis* infirmitas ingruit, tunc hæc Senſibilitas ſimul *torpeſcit:* quicquid itaque *animum* & *corpus valde* fatigat, id ad Senſibilitatem in *moralibus* & *vitalibus* negotiis *extinguendam* ſatisfacit: & quando in *quibusdam* ægris ob corporis *teneritudinem* & virium in externis membris *relativum* languorem, debilitas conſummata præſumitur, tamen *contrarium* ſæpe in variis phænomenis eluceſcit, v. g. quando *infantes*, aut *juniores* homines ſub *graviſſimo* morbo vehementiſſimas *convulſiones* experiuntur, quando *intenſiſſima* febris cum eximio motuum *augmento* per aliquot dies continuat, ut adſtantes in admirationem ducantur, daß ein Menſch dergleichen ſchwehre Kranckheit ſo lang oder gar aus- und überſtehen könne: ex quibus documentis inclareſcit, quomodo interdum *vires latitent* & data occaſione ſeſe *manifeſtent:* ex ſingulis vero hiſce meditationibus *notabilis* Senſibilitatis *diſcrepantia* cum *aliis* quibusdam qualitatibus inclareſcit.

§. IV.

§. IV.

Præterea annotanda venit diſcrepantia Senſibilitatis in ſenſu adhuc *latiori* accipienda & nondum ad *individua* reſtringenda; quando videlicet juxta reſpectus *naturalium* cauſarum, quoad *Ætatem*, *Temperamentum*, *Sexum*, *Climata* & *Nationes* eminens *diverſitas* illius Senſibilitatis occurrit; hinc Ætas *infantilis*, *puerilis*, *adoleſcentula* & *juvenilis* vegeta alacrive activitate, *Senilem*, quæ nunc in *languorem* & torporem valde inclinat, *ſuperat*, unde etiam hanc *Senſibilitate* antecedit, ſiquidem *junior* ætas ad objecta obvia magis *attenta* eſt, quæ non modo horum præſentiam *citius obſervat*, ſed ſubinde *valde agilis* eſt, in *comparatione*, *relatione*, *æſtimatione*, *dijudicatione* & reliqua etiam tractatione, applicatione, & proſecutatione; dum viciſſim in ſingulis negotiis *ſenilis* ætas *tardior*, *inertior* & faſtidioſior exiſtit: attamen in Senſibilitate *perſonali* aut *individuali* inquirenda, tunc *unus* infans, puer, adoleſcens, juvenisque *alterum* iterum hac Senſibilitate *ſuperat*; hinc exclamationes percipiuntur, das Kind, der Knabe ꝛc. ſey gar zu zärtlich und empfindlich: & hæc eſt illa *perſonalis* Senſibilitas, de qua præcipue præſenti themate diſſerimus: quid quod inter *Senes* occurrunt nonnunquam *comparate* Senſibiles, ut unus præ altero citius & gravius certo *cibo* aut *potu*, certa conſtitutione *aëris* certo *medicamento*, certo objecto *ideali* & *materiali moraliter* & *phyſice* alteretur, quæ *ſpecialis* & individualis differentia non raro inter *medicos* admirationem meretur. Quoad *Temperamentum*, manifeſta *communis* & conſueta in eodem occurrit Senſibilitatis *diſcrepantia*; quare *Sanguinei* & *Cholerici* Temperamenti homines ſunt *admodum* ſenſiles in *moralibus* & *vitalibus*

occupationibus; quæ Senſibilitas *eminentior* eſt, ſi *utrumque* temperamentum in *uno* ſubjecto *mixtum* eſt,& *potentius*,quod *cholericum* eſt,prædominium tenet: interim in *reliquis* temperamentorum ſpeciebus aut evidens *torpor*, aut *durior* & rudior objectorum *tolerantia* obtingit: aſt quia nulla regula ſine exceptione eſt,inter Sanguineos & Cholericos homines iterum in *individuali* reſpectu Senſibilitate *morali* & *phyſica* unus alterum *ſuperat*, ut ultra *conſuetum* gradum Senſibilitas talis adſcendat: immo dantur melancholici in *ſua claſſe* Senſibilitate majori præditi: id quod etiam valet de *ſanguineo-melancholicis*, *cholerico-phlegmaticis*, *ſanguineo-phlegmaticis*, *cholerico-melancholicis*. Et ita porro unus *Sexus* alterum hac Senſibilitate antecellit; ſiquidem notoria obſervatio eſt, quod *ſequior* Sexus *animo* & *corpore* flexilior, delicatior & in offenſiones pronior exiſtat,cujus Senſibilitas præcipue cum *intenſioribus* & frequentius *irregularibus* motibus conjuncta eſt: interim tamen admiratione digna utique eſt obſervatio,quod hac Senſibilitate *non obſtante* arduos, atroces & *periculoſos* affectus non modo aliquoties ſuſtineant, teſtimonio graviſſimorum affectuum *hyſtericorum* & numeroſioris *partus*,ſed & *præ viris* ſimiles aut *parallelos* affectus aliquoties *magis* ſuperent: attamen ſicut inter fœminas quoad *individualem* rationem Senſibilitas hæc *diſcrepat*,ut eadem in una præ altera *prædominium* gerat, ita aliquando exempla ſuccurrunt, ubi in *uno maſculo major* Senſibilitas deprehenditur, qualis in *multis* fæminis haud adeſt,unde *tales* maſculorum naturas *effœminatas* appellare ſolent: Eadem meditatio porro inſtitui poteſt de differentia Senſibilitatis quoad *Climata*, *Regiones* & *Nationes*

inde

inde innotuere, die harten Völcker: ſicut ex *hiſtoria naturali* conſtat, quod homines *polis* proximiores in *frigida* Zona viventes, nec non in *torridis* regionibus vitam degentes *durioris* & *inſenſibilioris* ſint indolis, quemadmodum homines in Zona *temperata* inter *montes* circumvallati, nihilominus durioris ſunt cervicis & *inſenſibilioris* conſtitutionis; quo *variæ* cauſæ contribuunt, quas hoc loco commemorare neceſſe haud ducimus, quia *proximius* ſcopum noſtrum non attinet: interea tamen iterum & *inter tales* homines diſcreta ac *individualis* occurrit durities & Senſibilitas, ſicut in *generali* æſtimatione una gens alteram *variis qualitatibus* ſuperat, iisque ſe diſtinguit, ita etiam medici periti ac *prudentis* officium eſt, in ſuo foro & pro *ſua applicatione* talem *differentiam* ut *judicioſe* annotet, interim & illa nondum in præſentis thematis evolutione ſufficit, ſiquidem *perſonalis* Senſibilitas adhuc *plus*, quam *generalis* infert: interea & hanc oblivioni tradere, aut negligenter tractare conſultum minime eſt.

§. V.

Hæc *Senſibilitas* perſonalis nunc in *certis partibus*, alibi in *certis functionibus* contingit, ita ut in *individuis* certis ultra communem & *conſuetam* ſuam Senſibilitatem, hæc *aucta* appareat: Hinc quidam homines *Capite* ita diſtincte ſenſiles ſunt, ut facile *venti* afflatus, vel aër *frigidiuſculus dolores* capitis, *otalgiam*, *odontalgiam*, *tumores* glanduloſarum partium, *oculorum* rubores, *catharros*, *rhevmatiſmos*, *coryzam*, *ſpaſmos* colli fixos &c. excitet: alii a diverſis *vaporibus* & ſpirituoſis exhalationibus, quas *multi* homines *commode* perferre poſſunt, graviſſime alterantur, unde *Cephalalgias*, *Hemicranias*, *vertigines*, *rubores* genarum,

phlogoſes in capite valde *moleſtas* experiuntur, teſtimonio hominum qui *Camphorata*, *caſtorina*, *opiata*, *ſuaveolentia*, *ambrata*, *moſchata*, olea varia deſtillata fragrantia, roſarum, cinnam. lavend. L. rhod. de cedro &c. aut *odore*, aut *applicatione* ad Caput *minime* perferre poſſunt, id *quod* præcipue in *hyſtericis*, *hypochondriacis* &c. ſubjectis ſatis frequenter occurrit; in quibusdam ſubjectis *Fauces* ita *ſenſibiles* ſunt, ut facile a *ſapidis* & præcipue *aromaticis* offendantur, unde *ardor* aliaque moleſtia illico obtingit: in aliquibus peculiaris *Pulmonum* occurrit *Senſibilitas*, qua *levis* mutatio *aëris* facilem & frequentem alterationem ſub *inſpiratione* pulmonibus affert; inde crebriores *branchi*, *tuſſes* pectorales, *congeſtiones*, pectus & pulmones afficientes; *aſthmaticæ* aliæque affiictiones corripiunt: in nonnullis *Cor* diſtincta Senſibilitate inſtruitur, unde *alimenta*, *potulenta*, *elementa* & *medicamenta*, vel leviter *ſanguinem commoventia*, ſubito *cordis palpitationes*, pulſum cordis *fortiorem* & *celeriorem*, aut plane *febrilem* cauſantur: *Ventriculus* in quibusdam *eximie ſenſibilis* eſt, ita ut nonnulli homines certas *ciborum*, *ſapore* & *conſiſtentia* diſtinctorum, ſpecies facile percipiant & ægre tolerent, adeoque multiplices *moleſtias* connexas experiantur, quæ ſatis ſæpe cum maturis *evomitionibus* ſe determinant, quas alterationes perperam *debilitati* ventriculi adſcribimus: *ſingulare* hujus ſenſibilitatis exemplar & ſpecimen occurrit in *antipathia* & *idioſyncraſia*, quæ cum *ventriculo* commercium habet, quibus qualitatibus objecta, *occulto* plane modo oblata, inter *varias alias* ſpecies mixta, non modo ſubito *ſentiuntur*, ſed *curatius diſcernuntur* & reliquo *connexo* affectu tractantur; in qua rerum conditione haud *materiale* ventriculi *vitium* ac-

cu-

cuſari poteſt, dum tale objectum *ideæ* ac *ſenſu adverſum*, effectus tales ex *materiarum* relatione & efficacia *nude phyſica neceſſitare haud* poteſt, ſiquidem plurimi alii homines *talia* objecta in ventriculo *perferre* poſſunt, quæ iisdem aliquando admodum *proficua* ſunt: in cujus obſervationis deciſione fruſtra ad ventriculi *diſcrepantem* conſtitutionem *materialem*, ad *fibrarum* teneritudinem, *nervorum* gracilitatem & imbecillitatem, *vaſorum* & canalium, humores recipientium anguſtiam &c. provocamus, ſi videlicet in *hiſce* qualitatibus principalem cauſam inquirere volumus; quoniam aliquoties in ſubjectis *contrariarum* qualitatum eadem Senſibilitas deprehenditur: Quidam homines porro in *Inteſtinis* magna pollent Senſibilitate, qua varia innocentia *alimenta* & *potulenta* ægerrime perferunt; unde videlicet facile in paſſiones *Colicas*, *alvi fluxus*, *Lienteriam*, *obſtructiones* alvi, *flatulentiam* moleſtam & angentem variaque alia *morboſa* pathemata incidunt, licet alii homines ſimiles ſubſtantias *commodius* tolerare queant; quamvis in *priori* caſu non ſemper ſuſpecta *ſaburra* in inteſtinorum tractu præſupponi queat: hanc obſervationem illuſtrat & confirmat effectus a *contrario* conſpicuus, quando quidam homines ex *confuſa* & *irregulari* diæta *nihil* detrimenti experiuntur; inde *gloriantur* de *bonis* viſceribus, Sie hätten einen guten Magen, der alles, was ſie untereinander eſſen, vertragen könne: Hac obſervatione nititur *parallela* alia, quando ob *conſuetudinem* aut *inſuetudinem* nonnulli homines *cibum* & *potum*, alioquin *bonum*, aut *crudum* & impurum vel perferre poſſunt, vel *minus*: in quo phænomeno iterum ſine *ſolida* ratione ventriculi & inteſtinorum *fabri-*

 cam,

cam, aut aliam cauſam *materialem*, ni *frivole* quædam *ſupponere* velimus, accuſamus.

§. VI.

De Senſibilitate perſonali in *Partibus* diverſis porro ſciendum eſt, quod quædam ſubjecta in *urinariis* viis *perquam* Senſibilia exiſtant, quas *citiſſime* varia *diætetica* ſubjecta alterare, *offendere* & irritare ſolent, ut *conſueta* diureſis vel *augeatur*, vel *minuatur*; hinc ratio *conſuetudinis* & *inſuetudinis* multum valet in ejusmodi phænomenis explicandis, ſiquidem interdum *inſolitus* potus, licet quoad *phyſicas* qualitates *bonus* & *purus* exiſtat, variis *turbis* excitandis quadrat, ut urinæ ardor, *ſtranguria* aliæque moleſtiæ oriantur: non minus *remedia* aut *alia* ſubjecta, *phyſica* quadam efficacia *haſce* vias afficientia, in talibus *ſenſibilibus* perſonis *celerius* & *potentius* operantur; ubi ſupervacaneus, valde *incertus* & dubius erit *opinionis* & præſumptionis nervus, quaſi *materialis* harum viarum conſtitutio *effectus* tales inferat, cum tamen de *occultis* non judicet Eccleſia & de partibus talibus, ſenſui *haud* perſpicuis, nuda *hariolatio*, aut præſumptio *nullam* fide dignam *demonſtrationem*, nedum *rationalem* probabilitatem miniſtret, quem *defectum* vero compenſat *demonſtratio* efficaciæ *activioris*, ſolertioris, *citatioris* & promptioris *motus*, in quolibet *integro* organo, *ſpecialiſſimis* qualitatibus *minus* ſemper aut abſolute prædito. Præterea in variis ſubjectis ſingularis *Senſibilitas* in *Genitalibus* partibus occurrit, quæ non modo *leviores* offenſiones *male* tolerant, ſed & variis cauſis irritari poſſunt, ut in ejusmodi perſonis res *alimentoſæ*, aut *medicamentoſæ* facile hæc organa ſtimulent, inque illis varios *effectus* citius excitent, teſtimonio pollutionum noctur-

na-

narum, in *ſenſibilibus* ejusmodi individuis, diætam *pinguiorem*, aut præter *ordinariam* rationem *lautam* & ſpirituoſam *cito* inſequentium. Subinde etiam quædam ſubjecta in variis *aliis* partibus eminenter Senſibilia ſunt, velut in *oculis*, *auribus*, *lingua* &c. quando hæc organa cito ab objectis *extrinſecus* obviis alterantur, unde qui haſce partes cum *mollitie* & *delicata* indulgentia uſurparunt, facile in iisdem offenſionem patiuntur, ut leviſſimus *pulvillus* & exiguus *fumus* oculos, exiguus *ſonus* & *ſtrepitus* aures, temperatior *ſalſedo* linguam alteret, *odorque* vel paululum *graveolens* nares *male* afficiat, quare aliquando *inſolitæ morboſæ* alterationes in talibus organis oriuntur, ut Oculi rubore, congeſtione, defluxione, inflammatione, intumeſcentia, Aures tinnitu, ſuſurru, Nares obſtructionibus, hæmorrhagiis, humoroſis aliis ſeceſſionibus & affluxibus, rubore, inflatione, inflammatione, Lingua puſtulis, ardore, dolore &c. corripiantur, qualia exempla varia ab obſervatoribus ſub titulo *antipathiæ* proferuntur, quæ præſentem noſtram meditationem abunde per *obſervationes* confirmant: Præter hæc teſtimonia indicamus porro, quod quidam homines etiam in *externa* & *ignobiliori* corporis regione valde *Senſibiles* obſerventur, qui videlicet in ipſa *cute* facile *offendi* poſſunt, ſiquidem in iisdem levis *compreſſio*, aut *inquinatio*, aut *offenſio* facile ſingulares, *minus familiares*, immutationes cauſatur: hinc quidam homines ab aqua paululum *impura*, aut craſſa, aut ab uſu *ſaponis* facile ſub lavamento *ardores*, *pruritus*, *dolores*, *fiſſuras* & *ſerpiginoſas* effloreſcentias obtinent: quidam homines *indulgentius* habiti, nedum quidem cum *aqua faciem* aut *manus* lavare & abſtergere debent, ni ſimilia incommoda experiri malint: aliqui

a le-

a levi *punctura* vermiculorum ſubito *ardores*, rubores, *inflammatorias* eryſipelaceas comminationes experiuntur, quidam ab *araneorum* curſitatione in nuda aliqua parte, *apum*, muſcarum, culicum &c. ictu, ſimiles patiuntur afflictiones; aliqui haud multum *cutem fricare* debent, ni facile læſiones incidant, unde enunciant, wann ſie ein wenig ihre Haut reiben, bekämen ſie gleich einen Schaden davon: in hunc titulum aliquando transferri poteſt obſervatio einen Schaden von heiler Haut bekommen: aliqui in cute nulla *linimenta*, unguenta, emplaſtra, cataplaſmata aliaque *topica*, licet nude *emollientia* fuerint, perferre poſſunt, ni *veſicas*, *pruritus* aliaque plane *inſolita* accidentia experiantur, imo occurrerunt ſubjecta, quæ ne quidem vulgaris chamomillæ flores ſiccos cuti applicare potuerunt: Si itaque *minor* læſio corporis exterioris ob hanc *Senſibilitatem tot tantasque* alterationes cauſatur, ita etiam ob eandem Senſibilitatem *majores* violationes longe *graviora* damna in *connexionem* trahunt; unde perinde liquet, quam ſæpe ſontica talia accidentia non in *materiarum* vitioſis qualitatibus, ſed in *motuum* ſatis *efficaci*, prompta & celeri *poteſtate majori* jure quæri debeant: quæ conſideratio itaque in *Medico* & *chirurgico* foro magni momenti eſt: Proinde vero porro argumentamur, ſi in *externo* & alioquin craſſiori ac minus ſenſibili copore *individualis* aut perſonalis Senſibilitas *numeroſis* exemplis & ſpeciminibus occurrit, quid ni *intenſior* Senſibilitas in *interioribus* & utplurimum *nobilioribus* & in *genere* ſenſibilibus regionibus ac partibus obtingere poterit? quæ *poſſibilitas rationali* connexione demonſtrata, in prædictis annotationibus etiam *veritati facti* confirmata fuit.

§. VII.

§. VII.

Præter hanc Senſibilitatem circa *Partes* diverſas notamus adhuc ſeorſim illam, quæ cum *Sanguine*, utpote Maſſa *fluidarum* partium, commercium habet; ſiquidem *numeroſiora* occurrunt ſubjecta, quæ quoad Sanguinis *æſtimationem* valde *delicata* ſunt, ita ut *ægerrime* perferant, quando ſanguinis, maxime vero profuſi, aut profundendi, mentio occurrit; ob id aliquando plane in *deliquia animi* incidunt; in *aliquibus* ſubjectis anima circa *Sanguinem*, aut alios etiam humores ita *ſenſibilis*, *ſollicita* & ſingulari attentione occupata & operoſa eſt, ut ſi ſanguis aliquales inſolitas *moleſtias* creat, aut natura de illius *promotione* & *emotione* ſollicita exiſtit, variæ *imaginationes* & *phantaſiæ nocturnæ* de eodem inſtituantur, inde *inſomnia* de viſione *ſanguinis*, de *cruentatione*, de *vulnerationibus*, de *ſuppliciis cruentis*, de *rubicundis* ſubjectis, de *incendiis* &c. formantur: ſiquidem interdum ſub *difficili ſpiſſioris* ſanguinis progresſu, indeque pendentibus *ſtagnationum*, *obſtructionum*, incarcerationum &c. effectibus & conſectariis, *conformia* terribilia inſomnia occurrere ſolent, quæ ſenſibilem animæ occupationem cum Sanguine teſtantur: & hanc circumſtantiam antiquiores jam medici annotarunt; inter illos inclaruit *Galenus*, ex quo *Rejeſius in Camp. Elyſ. juc. qv. 37.* varia collegit & allegavit teſtimonia atque effata, ex quibus unicum locum *Galeni Com. 3. in Lib. 1. Hipp. Epidem.* hoc loco tantum proferre placet; ita ait *Galenus*: *Si quis per inſomnium videat incendia, hunc offendit flava bilis, ſi imbres, abundare frigidum humorem declarat: ſic ſane, ſi nivem, glaciem, grandinem, pituitam frigidam; ſi quis in fœtido ſe loco eſſe putet, putredinem humorum: ſi gallorum gallinaceo-*

rum criſtas habere, *aut rufa quædam ſanguinem exuperare: ſi caliginoſa cernere*, *aut in locis eſſe caliginoſis flatus indicat:* Et quoniam hoc non in *omnibus* aut *plurimis*, ſed tantum in aliquibus *ſelectis*, occurrit ſubjectis, ita hæc obſervatio de horum eminenti & diſtincta Senſibilitate, circa *Sanguinem aliosve* humores occupata, teſtimonium perhibet: Similis Senſibilitas illa eſt, quando quidam homines ſanguinem ne quidem *intueri* poſſunt & ob illius conſpectum ſubito *virium* jacturam, *mollitiem* in præcordiis, *cardialgiam*, *tremorem* artuum, *lipothymiam*, *congeſtiones* humorum ad *caput* & *cor*, *palpitationem* cordis, aut Hæmorrhagias experiuntur; quæ phænomena, licet utplurimum in *antipathiæ* titulum referenda ſint, tamen eandem *Senſibilitatem* ſatis teſtantur: Nonnulli homines quoad *artificialem* ſanguinis *evacuationem* ita molles & *Senſibiles* ſunt, ut non modo in magnum *angorem*, timorem & animi deliquium incidant, ſed & *ægerrime* inde habeant, *vid. D. D. Præſidis Progr. de Venæſectione timidorum;* quid quod dantur adeo *ſenſibilia* ſubjecta, ut *convulſivis*, ob hanc cauſam, motibus corripiantur: Sunt etiam alia ſubjecta quoad *ſanguinem* ita *ſenſibilia*, ut de ſanguine eſculento, nihil quicquam perferre queant, ſed ex illius *ingeſtione*, graves *cardialgias*, nauſeam, conatus vomendi, actuales vomitus, dolores capitis, temulentiam, colica tormenta aliaque gravia experiantur pathemata; quæ ſingulæ conſecutiones teſtantur ſummam ſatisque *ſenſilem* ſanguinis averſionem; de qua obſervatione paſſim egit *Bartholinus in tr. de Sanguine vetito*, *Sennertus in Paralip. Zac. Luſit. Prax. admir. Lib.3. obſ.73.82. A.N.C. Dec.3. An.9. obſ.215.* Quam *ſenſibiliter* quidam homines *fluidi* ſanguinis ingeſtionem

aver-

averſentur, teſtantur ex ſufficienti obſervatione illi, qui ſanguinis *humani* uſui vim *antepilepticam* abnegant; Et ita porro dantur *alia* ſubjecta, quæ *internam* leviſſimam Maſſæ ſanguineæ alterationem & *inquinationem* ſubitaneis & impetuoſis *oppoſitis* ſcopis & motibus proſequuntur, licet alios *duriores* homines *ſimilis* cauſa haud ita *graviter* offendat: inde *ex parte* quandoque provenit, cur unum ſubjectum *ejusdem ætatis*, *ſexus*, *conſtitutionis corporis* &c. *contagioſa* quædam infectio *citius* & *gravius* affligat, quam *alterum:* quale phænomenon in *malignis* & peſtilentialibus morbis obſervare licet; inde etiam ex parte eſt, cur homines *minus ſenſibiles*, adeoque *minus trepidi*, anxii, timidi, abjecti, ſolliciti, *diutius* a tali morbo *liberi* & *immunes* maneant, aut cur illi, qui nunc *graviſſimum* talem morbum *ſuperarunt* & *ſanitati* integræ reſtituti fuerunt, licet in infecto & *contagioſo* miaſmate referto & repleto loco verſentur & perennent, adeoque *denuo* eadem peſtilentiali materia ipſorum *Sanguis* inquinatus ſit, tamen non *Recidivam* ordinario patiantur: Ex quibus ſingulis obſervationibus facile demonſtrari poteſt, quanta *Senſibilitate* interdum anima circa *Sanguinem* occupata ſit.

§. VIII.

Annotanda porro erit *Senſibilitas* Perſonalis circa diverſas *Functiones* in œconomia vitali obvias, ex quibus *aliquas* allegare lubet: & quidem quoad *Cerebrum* & *ambientes* capitis partes in quibusdam ſubjectis tanta naturæ eſt *activitas*, ut illico frequentius ſanguinem a ſero *catarrhali* repurget & *fluxione* catarrhoſa liberet; ſiquidem interdum huic operationi ita *adſueſcit* natura, ut, ſi *ſerum* ex aliis ſolitis *excretoriis* locis haud *ſufficienter* excernitur, aut excre-

tio ex iisdem turbatur & cohibetur, velut in impedita *tran-ſpiratione inſenſibili*, aut *diaphoreſi*, vel ob *ſegnitiem* & *ſuppreſſionem* alvinæ excretionis, confeſtim hæc catarrhalis fluxio in *capite* ſequatur: quid quod quædam individua, præcipue *Sequioris* Sexus, ita *ſenſilia* ſunt, ut ſi caput & reliquum corpus vel paululum *frigidiuſculæ* auræ exponant, ſubito *Coryzam* experiantur; in qua perferenda & ſubeunda etiam *morali* æſtimatione ita *delicata* ſunt, ut ne quidem *nomen* hujus affectus perferre queant, ſub illa exclamatione man ſolte dieß böſe Ding nicht nennen, ſo bald ſie es nur nennen höreten, ſo bekämen ſie es gleich: Nonnulli homines in *Oculis* adeo *ſenſibiles* ſunt, ut ſi vel *levis venti* afflatus, aut *exiguus fumus* eosdem attingit & afficit, mox *ruborem*, *ardorem* & moleſtam humorum *congeſtionem* in iisdem experiantur: aliqui quoad haſce *congeſtorias* commotiones, *oculos* infeſtantes, ita *Senſibiles* ſunt, ut ſi vel mediocrem hauſtum potulenti *calefacientis*, ſive pinguioris *cereviſiæ*, ſive *vini*, ſive *ſpiritus ardentis* ingeſſerunt, quando liquidum tale ſubjectum *modo* intra *ventriculum* devenit, *inque illo* adhuc detinetur, ſubito ſimiles ſanguinis *congeſtiones* inde in oculis cum *connexis* moleſtiis & afflictionibus ſentiant: quidam homines in *palpebris* oculorum ita *ſenſiles* ſunt, ut ob levem illarum *frictionem*, attactum, compreſſionem, mox moleſtum *hordeolum*, aut granulum miliare ſive *grandinem* in iisdem obtineant; inde etiam eſt, cur tales *ſtagnationes* & *concretiones* non raro experimentis *Senſationem* afficientibus & *imaginariis* reſolvantur & auferantur: Eadem Senſibilitas circa *congeſtorios* tales motus *Caput* afficientes, in illis ſubjectis & caſibus pariter obtingit, quando ob afflatum venti *borealis* & *orientalis*, ſubito quidem dolo-

res

res *capitis* & *dentium*, afflictiones *aurium*, *tonſillarum* calamitates morboſas, rhevmatiſmos in collo, inflationes *glandularum* capitis & colli, *branchum* & adhuc plures alios affectus ſubeunt; ita porro exempla conſtant, quæ ſingularem Senſibilitatem in capite quoad ſubeundos motus *congeſtorio - inflammatorios* comprobant, ex *levi* cauſa, velut *fœtido* quadantenus vapore afflante, aut *exhalatione* quadam telluris effoſſæ &c. quidam homines confeſtim *eryſipelate* capitis corripiuntur, qualia exempla aliquando occurrunt, quando talia ſenſibilia ſubjecta *verno initiante* tempore ſub *ſereno ſolis* ſplendore, flante vero vento inter occidentalem & borealem plagam fluctuante, in hortis, campis, agris &c. commercia & negotia quædam exercent: alia ſubjecta quoad hanc *congeſtoriam* commotionem, caput invadentem, ita ſenſibilia ſunt, ut ob uſum *novaculæ* aſperioris, aut qua cum facies vel leviter *varoſa* tonſura accommodata fuit, mox puſtulæ *ſerpiginoſæ*, *pruritus*, *ardores* & *rubores* in facie illorum effloreſcant & oriantur: alii homines, præc. fœminæ, *cute teneriori* præditi, aquas paululum *impuriores*, quas hårtlichte Waſſer vocant, puteorum, fodinarum, ciſternarum, ſtagnantium in facie perferre nequeunt, indeque *cutis aſperitudinem*, ſcabritiem, furfuraceam ſeceſſionem, ardorem, fiſſuram experiuntur & ita delicato ſenſu aquas hoc phænomeno diſcernere poſſunt, an illæ *mundæ* & *fluentes*, an *ſtagnantes* ſint: ſic porro quædam individua ad *ſolis æſtum* ita delicata ac *ſenſibilia* ſunt, ut ſi per *brevem* temporis moram ſub eodem verſantur, mox inſignem *ardorem* & *rubicundam* inflationem faciei, quid quod *ſerpiginoſas* efflorescentias, aliasque *puſtulas* in facie exorientes ſentiant, ſubeantque; quales tamen

 alte-

alterationes non *quilibet* homines, etiamſi *tenero* corpore præditi fuerint, experiuntur, alias indiſcretim, præcipue *ſinguli infantes*, tale quid experiri deberent, quod tamen ab obſervatione abludit, cum interdum in *paululum provectiori* ætate conſtituti homines ejusmodi alterationes ſubeant.

§. IX.

Quoad *Pulſum Cordis* in nonnullis ſubjectis diſtincta *Senſibilitas* occurrit, qualis *frequentior* eſt in *infantibus*, qui ob *leviorem* cauſam *ſubitaneum* & *ſtrenuum* Pulſus *augmentum* experiuntur, ita, ut hæc pars, videlicet *Cor*, in *hac* ætate, *comparate* tenera, tamen ob hanc Senſibilitatem *motui valde* obnoxia exiſtat, adeo ut cauſæ ſive *internam*, ſive *externam* corporis regionem afficientes & *aliquo* modo offendentes in illis infantibus velocem *alterationem* Pulſus cordis excitent: proinde etiam in aliis *adultioribus* hominibus interdum contigit, ut licet corpore ſatis ſint firmi & proceri, adeoque quoad *cordis ſubſtantiam* & conſiſtentiam per *juſtam* præſumptionem ſatis denſi, tamen quoad *motum* cordis facile eximiis alterationibus obnoxii ſint; hinc *exiguam* quantitatem *calefacientis* potus & *medicaminis* male ferunt, indeque confeſtim in *anguſtias*, *palpitationes cordis*, *oppletiones* magnas cordis a ſanguine & connexam *anhelosam* & anxiam *reſpirationem* incidunt: immo hæc Senſibilitas eo etiam ſe extendit, ut *poſt paſtum* homines quidam *fortiorem* & alacriorem pulſum ſentiant, connexum cum augmento naturalis *caloris*: in quo phænomeno haud ſatisfacit ratio, quaſi *oppletio* ventriculi diaphragma premat & afficiat, indeque pulmones & cor ex neceſſitate phyſica ad *majorem* motum urgeantur:

in

in qua aſſertione *attentis* ingeniis facile *levitas*, infirmitas & cruditas connexionis & argumentationis innoteſcit; ſiquidem præter multos inde fluentes paralogiſmos facile liquet,quod ventriculus ſub illis circumſtantiis magis *deorſum*, quam ſurſum premat & quod ſuo *pondere* ac tenſione *nervos* in actione ſua magis *impediat*, quam irritet; unde *augmentum* motus cordis a prædicta cauſa haud *principaliter* pendet: ſubinde in aliis ſubjectis contingit, ut,ſi res *adverſæ* vel *clanculum* propinentur, vel cum aliqua *coactione* ingerantur, *ſubito*, quando illæ *vix ventriculum* intrarunt,*pulſus* mutationem cauſentur; quod phænomenum nulla ſobria ratione,a cauſis mere phyſicis, aut decantatis mechanicis derivari poteſt: Et quod magis eſt, accidit aliquando,ut *valetudinarii* adeoque per hypotheſin phyſico - mechanicam *infirmi*, ita in *motu Cordis* ſenſibiles ſint, ut perexigua *moralis* & *phyſica* cauſa hunc pulſum admodum irritare & *occaſionali* influendi ratione *augere*, ſed non proxime *efficienter* impellere queat; ubi alia cauſa, *interveniente* & primario *cooperante* hac Senſibilitate motum ipſum *augere* debet & ſolet: in quibusdam *tanta* obſervatur Senſibilitas, ut ſubtili ac *tacito* modo *tempeſtatum* imminentes mutationes præſentiant, & ſecundum illas ſingulares *motus cordis* alterationes ac *immutationes* experiantur: quemadmodum nobis tale Subjectum conſtat, quod illo die,quo tempeſtas cum tonitru & fulmine irruere ſolet, multis horis *ante* & *ſereno* adhuc cœlo exiſtente, pulſum fortem, magnum, plenum, durum, celerioremque obtinet, unde *imminentis* hujus tempeſtatis *prognoſin* ferre ſolet: Et quam *velox* & præſentanea in quibusdam Perſonis eſt *Palpitatio cordis*,

quan-

quando vel *levis* cauſa, affectum *animi* provocans, intercurrit: ex hoc enim affectu dein Senſibilia ſubjecta dijudicantur, quando ſubitanea *pathetica* commotione afficiuntur & ex hac repentinas alterationes pulſus Cordis experiuntur: hinc etiam *ideæ* quædam ſub *ſomno* facile in Senſibilibus tales cordis Palpitationes cauſari ſolent: *vid. Wepferus obſervat. p. 354. conf. Riedlini Curat. Med. 141.* ita porro in aliquibus *Senſibilibus* hominibus exigua & inſolita *extremitatum* corporis refrigeratio mox eximiam alterationem in *Pulſu* Cordis cauſatur, ut *durus, tardus*, depreſſus, *anguſtus*, abbreviatus, imo *intermittens* evadat: quam ſenſibilis itaque anima in *moralibus* eſt, ut accelerato & *activo* affectu, aut *mala* metuat, aut bona ſperet & ſecundam talem *ideam* grati & ingrati præcocem *Pulſus* mutationem cauſetur & efficiat, ita ob *alia* objecta *corporis* œconomiam hujusque integritatem concernentia, eorumque *æſtimationem* ſimiliter prompta activitate Pulſus alterationem aliquam ſubit.

§. X.

In functione *Excretionis* naturalis ſingulares æque Senſibilitates in variis Subjectis obtingunt; & quod evacuationem *ſeri* per corporis *ambitum* aut *peripheriam* attinet, tunc quidam homines ob illam delicatam Senſibilitatem in *Sudorem* ita proni, præcipites & *diffuſi* ſunt, ut levis *corporis motus*, valde *temperata aëris* conſtitutio, *cibus* vel *mediocriter* calidus, locus *tepidior*, medicamentum *modice* calefaciens, celeri ſucceſſu *largum* Sudorem cauſentur, citra culpam ſeri valde *volatilis*, aut *laxioris* tantum corporis conſtitutionis; ſiquidem alia ſubjecta, in quibus *ſimilis* qualitas accuſari poſſet, ſimilem tamen effectum, ob defectum

ſimi-

ſimilis Senſibilitatis haud experiuntur; nam ſimilium eadem eſt ratio & qualitas, quoniam vero *diſſimilitudo* quoad hanc Senſibilitatem occurrit, ita non ſimili aut æquali ſucceſſu, gradu, copia & promptitudine *Sanguinei*, *Phlegmatici* & *Cholerici* ſudant: Alii homines quoad *alvinam* excretionem diſtincta pollent Senſibilitate, dum vel ſimplicius *leniens* alimentum & potulentum admodum *laxam* nonnullis reddit alvum: quidam *certa* ſubjecta uſui *diætetico* alioquin quadrantia peculiari *circumſpectione* uſurpare debent, velut Cepas, Salita, paſſulas, pruna &c. ni incommoda diarrhœa ob illorum eſum affligi malint, ſiquidem lubricitatem alvi confiteri ſolent, ſie wären ſo weichlich und weichleibig, daß ſie leicht etwas purgiren könne: ejusmodi ſubjecta facile *laxat* potus *tenuis*, aut ſi paulo *plus* potulenti aſſumunt, nec non *ſimplicior* potus *aquæ*, vel potus *inſuetus* cereviſiarius, licet optime defæcatus, purus & limpidus, vel ſi cereviſia quædam cum aqua paululum *cruda* & *ſalſa* cocta fuerit, *laxiorem* obtinent alvum; talibus porro ſubjectis carnes animalium *ferorum* facile laxam reddunt alvam, in quibus ex victu *ſylveſtri* mixtio etiam *diſtincte ſapida* eſt, ut propter harum *ſalino-ſulphureарum* ſubſtantiarum ingeſtionem & *facilem* perceptionem excretio *alvina citius* & liberalius procedat: quam ob rem Subjecta, quoad *hanc* excretionem *adeo* ſenſibilia, *ſelectam* & temperatam diætam ſervare debent, ne ex *crebriori alvi* fluxu incommoda ſubire velint: tale quid in ejusmodi *Senſibilibus* perſonis facile evenit, quando *præter conſuetudinem* diverſi *ſaporis* & variantis *conſiſtentiæ* alimenta præcipue, ut & potulenta ingerunt, quorum *ſenſibilem* perceptionem multifaria *moleſtiarum* ſchemata in *inteſtinis*

nis occurrentia comitari ſolent, velut *flatulentiæ*, anguſtationes, *inflationes* abdominis, *tormina* colica, *cardialgiæ*, *obſtructiones*, aut *fluxiones* alvi &c. Sic dantur ſubjecta, quæ quando paululum *pedes denudant* & *refrigerant*, alvum *laxam* experiuntur, qualem *parallelum* caſum recenſet *Riedlinus Lin. Med. An. VI. Martio obſ. 21. p. 313.* hiſce verbis: *eſt vir nobiliſſimus, apud quem mentio injiciebabatur, quæ alvum apertam ſervare ſolent, ipſe narrare cepit, ſe quidem quando alvi beneficio deſtituatur, certius ſe ipſum juvare non poſſe, quam quando nudis pedibus ſuper ſolo, lapidibus ſtrato per parvum temporis ſpatium ambulet:* addit vero ibidem idem author huc pariter quadrantem obſervationem *de carne vitulina cuidam alvum movente*, cum qua concilianda erit, ſimilis alia, quam *Act. Erud. Lipſ. An. 1720. Febr. p. 84.* ex *Löwenbockii Epiſtolis Phyſiologicis Epiſt. 39.* allegant: *de alvo fluidiore ex uſu carnis agninæ & bubulæ pinguioris:* & quamvis in talibus caſibus *lubrica* gelatina ejusmodi carnium accuſari queat, tamen hic effectus non in *multis*, nedum plurimis contingit, ut propterea *perſonalem* talium hominum Senſibilitatem annotemus: ſic ſenſibilia alia ſubjecta alvi *laxitatem* a *potu Thee* aliquando experiuntur, *vid. Riedlinus Lin. Med. An. 2. Octobr. obſ. 25. p. 515.* & *ibid. Januar. obſ. 17. p. 26.* comemoratur caſus ſub titulo: *alvum movet prætereunti pharmacevtica officina:* alii ſenſibiles homines ſi vel leviter *frigidiuſculum potum* hauriunt, aut abdomen *mitius* refrigerant, mox alvum laxam ſentiunt: porro alii *ſenſibiles* homines ſi vel leviter *ira* excandeſcunt, *metu* & *terrore* percelluntur, mox *alvum laxam* ſuſcipiunt. *vid. Pechlin. Lib. 3. obſ. 18. Riedlin. l. c. An. 3. April. obſ. 6. p. 219.* Æqualis Senſibilitas obſerva-

ſervatur aliquando in *Urinæ* excretione, dum cauſæ *lenioris* & levioris efficaciæ facile illam *augere* & *minuere* adjuvant: quare potus *frigidiuſculus* nunc *retentionem* Urinæ, nunc *ſtranguriam* excitat: cibus paulo liberalius *ſalitus* moleſtum conatum & *augmentum* mingendi, ut & *ardorem* Urinæ invitat; potus *acidiuſculi* & mitiora condimenta *diuretica*, *valde* urinæ excretionem *urgent*: vina *recentia* aliquando multas *moleſtias* quoad *hanc* excretionem cauſantur; quales caſus plures allegari poſſent, ſi inſtituti ratio permitteret, ex quibus hunc unicum commemorare lubet, ubi juvenis *plethoricus* a cereviſiæ dulcis *inſueto* uſu toties graviſſima *ſtranguria* cum *mictu cruento* ſtipata correptus fuit, *quoties* illam hauſerat: imo innotuere exempla, ubi homines erga potum quemvis *cereviſiarium* ita *ſenſibiles* redditi ſunt, ut ob tormenta colica, diarrhœas & ſtranguriam inde provocata illum plane omittere & in potum *aquæ* immutare debuerint: Quidam homines in viis *urinariis* & vicinis *ſpermaticis*, ſubinde in *functione* ſe- & excretionis *Urinæ* & *Spermatis*, ita *ſenſibiles* occurrere, ut ob uſum, vel plane tantum *diæteticum*, *leviter* urinam *moventium*, nec non ob *exiguam* ingeſtionem *aromaticorum* ſubjectorum, mox *pollutiones nocturnas* & *ſtranguriæ* moleſtias experti fuerint: De Cereviſia, quæ hic loci coquitur & Manheimenſis vocatur, *creberrima* annotatione conſtat, quod ab illius uſu homines *plethorici*, de *ſanguineo* temperamento participantes, in *Diureſeos* negotio *ſenſibiles*, *facile* moleſtam *ſtranguriam* ſuſcipiant: Similem afflictionem ejusmodi Senſibiles perſonæ a *permutatione* potus conſueti, cum *inſolito*, patiuntur. Proinde delicatuli *Senſibiles* homines non raro *vo-*

mitionibus ob levem cauſam obnoxii ſunt, ut *nauſea*, aut *adverſorum*, aut *moleſtorum* & inſuetorum ingeſtio facile ea contribuat, quem effectum perperam quidam *debilitati* ventriculi adſcribunt: inde contingit, ut quædam ſubjecta vel *paulo plus* ventriculum cibo aut potu onerantia, vel cum *coactione inſuetum* cibum ingerentia, vel *extra ſolitum tempus* victum aſſumentia, vel *paulo magis* ſalitum, vel acriori ſapore præditum, vel *pinguiorem*, vel *frigidiorem* cibum capientia, mox in vomitus ſolvantur: huc pertinent peculiares obſervationes, *Vomitus, olfactu irritati*, quem allegat *Bohnius in diſp. de Vomit. ſ. 9. Vomitus a Muſica*, quem recenſent *A. N. C. Dec. 3. An. 3. obſ. 182. Vomitus ex alterius oris fœtore, Riedlinus Lin. Med. An. 3. Sept. obſ. 20. p. 630.* Ex quibus ſingulis animadverſionibus jam conſtat, quam *Senſibilis* ſit hominum natura in Evacuationibus.

§. IV.

In Functione *Concoctionis* notatu interdum digna Senſibilitas obſervatur, dum quædam *diſtincte grata* ingeſta, aut alimenta *cito* & prompte, alia vero & *contrariarum* qualitatum ægre & tarde concoquuntur; nonnunquam quædam ſubjecta *adverſa, tecte* oblata & ingeſta, *ſubito* percipiuntur, maximave *nauſea* profligantur, aliquando ſubjecta alia ingeſta, vel *paululum* adverſa, vel cum *nauſea* comeſta, per aliquot dies adverſo *eructationis* effectu inter *varias* alias alimentorum ſpecies ſentiuntur: quandoque eſculenta & potulenta, quæ *alias grata* fuerant, ſed aliquando *magna* copia, vel *crebra* repetitione ad *nauſeam* usque ingeſta ſunt, poſthac aliquandiu *ægre* perferuntur & *difficilius* concoquuntur, imo plane iterum *vomitu* ejiciuntur:

ita

ita etiam contingit, ut homines, qui diætæ *craſſiori* adſueti fuerant, a *molliorum* ciborum ingeſtione, varias ventriculi *moleſtias*, *cardialgias*, *conatus vomendi* &c. experiantur, tales cibos *tardius* concoquant, imo poſt *longiorem* aliquando moram *inconcoctos* denuo evomant, vel per alvum dejiciant: ita abſtemii ab eſu *caſei*, aut aliorum certorum *eſculentorum* ſubjectorum, a clandeſtina & ipſis *inſciis* facta eorum oblatione *ſingularia morboſa* pathemata experiri ſolent, quæ aliquando ita comparata ſunt, ac ſi *venenum* ingeſſerint: nonnunquam hæc Senſibilitas *certam* alimentorum & potulentorum *quantitatem* & *qualitatem* concernit: quidam homines ſine ſanitatis *offenſa* varias & *contrariantis* ſaporis eſculentas ſpecies ingerunt, alii viciſſim quoad hanc qualitatem *exactam* rationem & *circumſpectionem* obſervare debent: alii ab alimentis *remiſſius* aromatiſatis ſubito in ventriculo magnas moleſtias, *ardorem*, *Sodam* &c. patiuntur, alii *ſatis larga* copia eadem ingerere & tolerare poſſunt: ubi fruſtra hic refugium patet ad aſylum illud generis *nervoſi debilioris*, aut *fibras* ventriculi *teneriores*: dum aliquoties homines *procero* corpore & *denſis* fibris inſtructi, *haſce* alterationes in ventriculo patiuntur: Ita etiam alii homines in *officio Inteſtinorum* admodum flexiles, delicati & *ſenſiles* ſunt, ut levis cauſa & qualitas interna & externa illud alterare & *offendere* queat, unde innotuere illæ exclamationes, man ſeye weichleibig, man könne nicht viel vertragen, hinc facile alvi *obſtructiones*, alvi *fluxus*, *flatulentiæ*, *tormina*, *anguſtationes*, *ardores* interni, abdominis *intumeſcentiæ*, *cardialgiæ*, obſcuræ commotiones & *inquietudines* per inteſtinorum tractum circumvagantes, aliaque pathemata morboſa oriuntur: ita quidam

homines *adeo* ſenſibiles ſunt in *inteſtinis*, ut ne fruſtulum *dulcis* aut *aciduli* cibi ingerere debeant, quin mox moleſta *tormina* ſentiant: In nonnullis individuis *eximia* occurrit Senſibilitas in functione *Sanguificationis*, ſiquidem aliquando *vilis* & *tenuis*, ut & *modicus* victus, ad ſatis *conſpicuam* ſanguinis *ubertatem* contribuit; de quo phænomeno dicunt: es werde alles bey einem zu Blut, ſiquidem in talibus ſubjectis *gelatinoſa* ciborum ſubſtantia *intimius* reſolvitur, plenius & *curatius* aſſervatur, & magis in *ſanguinis* augmentum, quam multum *reliqui* corporis accrementum & *obeſitatem* impenditur: Alii homines in *aſſervando* & tractando *puro* ſanguine adeo *ſenſibiles* deprehenduntur, ut ex levi humorum *inquinatione*, undecunque illa orta fuerit, vel ex exiguo *diætæ* vitio, vel ex *animi* pathematibus, vel ex *aëris* intemperie & *effluviis* impuris, vel ex aliquali *excretionum* retentione, mox *efflorescentias* cutaneas *diverſæ* ſpeciei & *defœdationes* cutis, aut *ſudores fœtidos*, vel ſi *fonticulos* geſtant, mox *ardores*, *rubores* & *pruritus* in illis & circa eosdem experiantur, aut alias alterationes in *Urina*, in *motu ſanguinis* videlicet *phlogoſes*, *rhevmatiſmos* &c. ſuſcipiant: Nonnulli homines magna Senſibilitate circa *progreſſum* ſanguinis inſtructi ſunt; hinc ſi vel paululum *corpus commovent*, mox moleſtos *orgasmos*, *oppletiones* peripheriæ, *incaleſcentiam* adverſam, inflationem capitis, *vertiginoſas* perturbationes, *ruborem* & ardorem in *genis*, *anguſtiam* aliqualem circa præcordia &c. experiantur: quam ob rem tales homines *exactiſſimam temperiem*, in ſingularum *naturalium* rerum uſu obſervare debent: aliqui ob comeſtionem cibi mediocriter calidi, ob ingeſtionem *victus aromatiſati*, aut *potus ſpirituoſi* confe-

ſtim

ſtim ſimilem *anxium* ſanguinis *orgaſmum* ſentiunt, quando adhuc hæc ingeſta in *ventriculo* hærent: aliqui ex *odore fragrante* mox in graves *ebullitiones* ſanguinis, *palpitationes* cordis, *anguſtias*, dolores *capitis* &c. incidunt. Quoad Motus fibrarum *conſtrictorii*, ſive *tonici* proceſſum quædam perſonæ admodum Senſibiles deprehenduntur, dum exiguam *frigoris* perceptionem *ægerrime* ferunt, indeque valde alterantur, quales homines eapropter Fröſtlinge, Zärtlinge, nominantur, die nichts vertragen können: quosdam *mediocris* auræ *frigidiuſculæ* afflatus *eximie* quoad hunc motum *tonicum* offendit, ut peripheria ſubito & tenaciter conſtringatur, indeque gravia oriantur damna: Alii homines in Actu *Nutritionis* perinde valde ſunt Senſiles, unde in eodem per exiguam *patheticam* alterationem, aut ob *mutatam diætam* admodum offendi & *impediri* queunt, inde accuſatio originem traxit, es gedeihe einem nicht jedes Brod und Küche: interdum tales homines *facilem* & *acceleratam* ſui corporis amplificationem monſtrant, mox vero iterum inopinato extenuantur & *gracileſcunt*: Quibus ſingulis animadverſionibus addi poteſt, quomodo in *ſenſibilibus* ſubjectis facile in *Cute irregulares concretiones* & *efflorefcentiæ* etiam ex nuda *imaginaria* perſuaſione oriantur, velut *verrucæ*, *ſerpigines*, *fungi*, quales iterum in Senſibilibus talibus perſonis *therapia imaginaria* curari & averti poſſunt: eminens porro efficacia Senſibilitatis in negotio *Nutritionis* aliquando occurrit in *infantibus*, qui *auſtera* aut moroſa allocutione ita *percelluntur*, ut non modo non augeſcant, ſed potius *decreſcant*: hinc aliquando *incantamenta* accuſantur, das Kind ſeye beſchrien worden.

§. XII.

§. XII.

Quantam vim hæc *Senſibilitas* habeat ad *morbos excitandos*, *augendos* & *minuendos*, numeroſis exemplis probari poteſt, ex quibus tantum ſpeciminis loco unum alterumve recenſere volumus: quantum valeat *metus* & *angor* de morbis, qui communiter cum Senſibilitate illa conjunctus eſt, ad morbos *accelerandos*, multis conſtat teſtimoniis; ſiquidem cum hac obſervatione *imaginarii* valetudinarii conciliari poſſunt; quidam homines *anxie* & ſenſibiliter de *ſanitatis* ſuæ ſtatu *ſolliciti* facile ejus *mutationem* experiuntur; inde obtrectationes illæ innotuere, man ſey vor Einbildung kranck! aliqui cum *angore* de morboſo pathemate *cogitantes*, ſubito in illud incidunt, teſtimonio *palpitationis cordis*, *doloris capitis* ac *dentium* &c. huc pertinet ille caſus, quando homines a mala *imprecatione*, quam cum *horrore* perceperant, affectus morboſos ſuſcipiunt, velut *ſpaſticos*, *convulſivos* &c. quid quod notatu dignus eſt effectus, quando quidam homines hunc vel illum ægrum *perhorreſcentia* quadam, aut intima *averſione* proſequuntur, unde vulgares illæ accuſationes, man habe ſich geſcheuet: aliqui homines ex *levi metu*, *indignatione*, *terrore* &c. crebras inflammationes *eryſipelaceas*, *efflореſcentias* puſtulares *oris* &c. obtinent: alii ob ſimiles *leves* cauſas mox graves prægreſſorum morborum *Recidivas* patiuntur; quid eadem Senſibilitas conferat, ad *citius* convocandos morbos *Epidemios*, malignos, contagioſos plurimi medicorum teſtantur, dum viciſſim ſubjecta *duriora* & *inſenſibiliora* longius ab invaſione talium morborum immunia perſiſtant: quid quod in genere talia *Senſibilia* ſubjecta communiter *facilius* & *frequentius morbis* corripiuntur: de

hac

hac meditatione conferri poſſunt *diſpp. D. D. Præſidis* de *Valetudinariis imaginariis*, *de Therapia imaginaria*, de *Phantaſiæ uſu, luſu & abuſu in Medicina :* aliqui quoad *aëris* injurias ita ſunt ſenſibiles,ut ex levi illius afflatu confeſtim varias *morboſas* invaſiones ſuſcipiant, velut *catarrhos, rheumatiſmos, congeſtiones, ſpaſmos, febriles commotiones* &c. Proinde homines *ſenſibiles* morbos, in *ſua ſpecie* leviores,*graviter* perferunt,indeque *valde* ægrotant, unde alii enunciant, es könne ſie eine kleine Kranckheit ſehr angreiffen und mitnehmen: hæc Senſibilitas contribuit, ut morbis *minoribus* ſymptomata *majora* & ominoſiora ſupervenjant, ſiquidem in *talibus* ſubjectis morbi *ſubitanea* capiunt *incrementa*, in uno aut altero *extremo* facile peccant, cœteroquin etiam valde *perverſe* progrediuntur,hæc Senſibilitas confert ad morborum *complicationes*, *converſiones*, *vagabundos* decurſus, *retroceſſiones* ad *nobiliora* loca & organa, *recidivas* aliasque *præjudicioſas* qualitates; illa etiam in morbis aliquoties ad *præcipitatos* effectus & decurſus diſponit,qui nihil *levaminis*, ſed potius multum *periculi* afferunt & promittunt: in *Febribus* præcipue hæc Senſibilitas *ſingularium* mutationum & eximiæ *activitatis* & *intenſioris* operationis in *externorum* Senſuum officio cauſa exiſtit, ut patientes omnia objecta,*organis* illis ſenſoriis obvia,ſumma *celeritate*, attentione & æſtimatione apprehendant: & quemadmodum hæc Senſibilitas *multum* ad *augendos* morbos confert, ita etiam utplurimum *ſalubrem remediorum* operationem impedit, quæ aut *ambiguos*,aut *inſufficientes*, aut *alios*, aut *contrarios* aliquando edunt effectus: nonnunquam hæc Senſibilitas *operoſam* ſe exhibet quoad *Confidentiam* & *diffidentiam* erga *Medicum*

F &

& *medicamenta* & proinde cum citiori *emendatione*, aut *deterioratione* morbi cohæret: & quemadmodum ſenſibiles quidam homines ex *alteratione*, quam *ſubtili* modo de *ſanguine*, per VSnem *modice* ceteroquin ſubtracto, percipiunt in animi deliquia incidunt, ita alii *multum* de tali imminutione ſanguinis *ſperantes*, ſui mali *præſentaneam* inde opem obtinent: hac *Senſibilitate* multum nituntur Curæ *ſympatheticæ*, quæ aut *firmam* ſenſualem *imaginationem*, aut ſubtilem *intimiorem* perceptionem requirunt: inde etiam facile judicare licet, cur *macrocoſmicæ* mutationes, in *corporis* noſtri œconomia tam ſub *ſanitatis*, quam *ægrotationum* ſtatu, aut in *meliorem*, aut *deteriorem* permutationem influant & cooperentur: ita porro *Menſium* & *Hæmorrhoidum* fluxus, affectus maligni *exanthematici* & præcipue *Purpura*, peculiari *Senſibilitate* ſtipati obſervantur: qualia multa ſpecimina quilibet exercitatus & attentus animus in ſpecialiſſima morborum ſcrutatione inveniet, quid videlicet virtutis aut efficaciæ eadem Senſibilitas in *Morbis* habeat, ubi variæ *alterationes*, tam quoad diverſas *partes*, quam quoad varias *functiones*, juxta præmiſſam deductionem annotari poterunt.

§. XIII.

Neque oblivioni tradenda eſt conſideratio hujus *Senſibilitatis* in relatione ad remedia: ubi iterum *duplex* obſervatio occurrit, quando vel quædam perſonæ medicamenta *plane non* perferunt, vel cum remediis valde *delicate*, indulgenter & *circumſpecte* tractari debent: *primam* circumſtantiam quod concernit, tunc inveniuntur homines, qui *iterata morboſa* invaſione, *ſponte* convaleſcunt, & benignam ac *medicatricem* ſuam naturam concelebrant,

pro-

proptereaque non modo *remediorum* uſui minus fidunt, ſed & eadem plane *abhorreſcunt*, adeoque ne *ſimplicia* quidem *medicamentoſa* ſubjecta, velut *abſorbentia* commode perferre poſſunt, ſed potius ab illorum ingeſtione varia *incommoda* patiuntur, hinc vulgo dicitur: es wären gar zu üble Leute zum einnehmen: id ipſum tanto magis obſervatur in ſubjectis, quibus hæc remediorum averſatio per *hæreditatem* communicata fuit: dantur etiam ſubjecta, in quibus natura cum eximia *Senſibilitate* non modo de corporis ſui ſtatu & *integritate* valde *ſollicita*, ſed & circa hujus *conſervationem* valde *activa* & operoſa eſt, quæ *propriis* viribus ſanitatem *præſentem* confirmare & *amiſſam* ac læſam reparare nititur, eaque propter oblationes *medicamentorum ægre* iterum perfert: de qua obſervatione conf. *D. D. Præſidis diſp. de Naturæ lucta cum morbo & medico*: ut & de *abſtinentia a Medico & Medicamentis*. Quoad *ſecundam* annotationem paulo frequentius *diſtincta* Senſibilitate prædita occurunt ſubjecta, quæ vel certo *ſapore, odore* & *colore*, nec non certa *formula* & *mole* remediorum graviſſime alterari poſſunt, in quibus vis *imaginationis* valde præpollet, quæ aliquando ita *efficax* eſt, ut ob nudum *conſpectum* remedii vomitorii, purgantis, diaphoretici, talis operatio in individuo oriatur; alii homines ita ſenſiles ſunt, ut ex *nuda commemoratione* hujus vel alterius effectus *medicamentoſi*, qui in *alio* obtigit ſubjecto, eundem pariter in *ſuo* corpore experiantur, de quibus ſubjectis alii judicant, es wären ſolche Menſchen ſo weichlich und zärtlich, daß man ſie geſund und kranck reden könnte, wann und wie offt man wolte: alios ingeſtio remediorum *adeo offendit*, ut ſi illa cum aliquali *coactione* peracta fuit,

F 2 graves

graves & *periculoſi* conſequantur effectus: alii certas *formulas* remediorum tam *eximia* ſenſibilitate *abhorrent*, ut *animi deliquiis*, anxiis *ſudoribus*, ſpaſticis & ſemiconvulſivis motibus corripiantur, proptereaque ut ajunt, lubentiùs in *quiete*, quam ſub talibus provocatis *tormentis*, *emori* geſtiant: Præterea exquiſita Senſibilitas circa tolerantiam *medicamentorum* obſervatur, quando in quibusdam perſonis *leniora* remedia nihilominus ſatis evidentes & *magnos* effectus edunt, quæ in aliis vel *parum*, vel plane *nihil* operantur, inſuperque ob *fruſtraneam* ingeſtionem *contrarios* interdum effectus proferunt: teſtimonio *laxantium*, quæ in robuſtioribus ac *durioribus* naturis alvum aliquando *obſtruunt*; inde etiam eſt, ut quidam ſenſiles homines *ſalia fixa* & *ſicciora* vel *difficulter* ſolubilia, aut non niſi in valde *refracta* doſi, aut cum eximiis *moleſtiis* perferant, unde *torſiones* in ventriculo & inteſtinis, imo *alvi fluxus* ſubeunt; licet cœteroquin eadem *bene* præparata ſint; in *oppoſita* conſideratione viciſſim conſtant nationes & ſubjecta admodum *dura* & *minus* ſenſibilia, quibus *conſueta* remediorum doſis *duplicata*, imo multiplicata *augmentatione* offerri debet, adeo ut multum interſit, hanc diſcrepantiam noſſe; ſiquidem ſuperfluæ & *excedentes* remediorum operationes, aut *deficientes* illorum effectus, non *vulgari* provocatione ad *communem doſium* præſcriptarum quantitatem defendi & excuſari poſſunt, quoniam talia *Senſibilia* ſubjecta huic regulæ magnam *exceptionem* inſerunt: Neque tantum hæc Senſibilitas, ſecundum præmiſſas annotationes *univerſalis*, ſed aliquoties *particularis* eſt, juxta differentiam *regionum*, *partium* & *functionum*; quare remedia quædam in *tales* regiones, partes & fun-

ctiones

ctiones *ſpecialiores potentius* operantur, ut interdum medici inopinatum *vehementiorem* talem effectum admirentur, ſi videlicet hanc qualitatem *Senſibilitatis* in hominibus non attendunt: & hæc obſervatio alioquin ita vulgata eſt, ut vel ipſa plebs ſub eadem *duram* & *delicatam* naturam, eine harte und zarte Natur prodere ſciat: præterea aliquando accidit, ut nonnulli homines erga *certas ſpecies* medicamentoſas valde ſenſibiles exiſtant, inde accidit, ut ſi *tales* ſpecies *aliis* remediis *intermixtæ* fuerint, illæ propterea ad *perverſum totius* compoſitionis medicamentoſæ effectum contribuant: quas ſingulas circumſtantias prudens medicus curatius indagare & applicare debet.

§. XIV.

Dum hactenus varia Specimina & Teſtimonia hujus Senſibilitatis commemoravimus, ita nunc porro indicamus, quod hæc Senſibilitas *animæ rationalis* operatio exiſtat, qua *corporis* œconomiæ præcipue connexa eſt ac proſpicit: quemadmodum enim hæc Senſibilitas obvia objecta *percipit*, ita ſane *tale* quicquam de *materia* prædicare haud poſſumus, quæ objectorum occurrentium *præſentiam* & contactum *nec obſervat*, nec *æſtimat*, nec *dijudicat*, nec ad certos ſucceſſus & *eventus* applicat; & ſi velimus hoſce effectus, quos Senſibilitati tribuimus, *phyſicæ relationi* materiarum, diverſimode ſe invicem afficientium, imputare, *vanæ* inde provenient *ſuppoſitiones*, opiniones, paralogiſmi nihil ſignificantes & demonſtrantes, ſed articulum *falſæ* fidei conſtituentes; dum videlicet totum *fundamentum* explicationis acquieſcet in certa *conſtitutione corporis*, in *debili* aut *tenero* genere nervoſo, in *fibrarum motricium* mollitie & denſitate & ſimilibus aliis verboſis & otioſis

F 3 aſy-

aſylis; ubi *effectus*, ex *falſis*, aut *dubiis*, aut *controverſis* cauſis & hæ *cauſæ* iterum ex *effectibus* demonſtrantur, quæ ſane ridicula demonſtrationis methodus & conditio eſt: etenim tales Senſibilitates occurrunt etiam in *ſubjectis*, quorum *corpora* ſunt *firma*, craſſa & *denſa*, adeoque *nervi* & *fibræ* motrices *rigidæ* ſatisque ſolidæ: imo in aliis ſubjectis, quoad corpus & genus nervoſum ſatis *evidens* aliquando apparet *teneritudo*, flexilitas & *gracilitas*, *deficiente* tamen eadem *ſenſibilitate*: nam ſi cauſa *primaria* hæreret in *materialibus* qualitatibus, tunc per *neceſſitatem phyſicam* effectus ille præſens eſſe deberet, ſi præſens eſt *conformis* cauſa, id quod tamen utplurimum fallit: jam vero hoc negotium, in ſuo *parallelifmo* conſideratum, facile certitudinem noſtræ aſſertionis probabit, quando Senſibilitas in *moralibus* & in *externorum* ſenſuum officio, *non qualitas* & effectus *materiarum*, ſed ipſius *animæ rationalis* eſt; quam aſſertionem iterum adjuvat & ſuffulcit illa *analoga* theſis, quod in *formali* diſquiſitione Senſibilitas ad œconomiam *vitalem* ſpectans, cum altera Senſibilitate ad *moralia* officia pertinente, exacte conveniat, quæ conformitas facile demonſtrari poſſet: Et ita omnino contingit, ut eadem *rationalis* anima, quoad *internos* & *externos* ſenſus *magis* officioſa & *ſenſibilis* exiſtat; ſi itaque in corpore noſtro hujusque partibus intraneis æque *Senſibilitas* conceditur, ita hanc non a *materialibus* reſpectibus, ſed ab *eadem anima* derivamus, quæ perinde ob certas rationes, ſive *juſtas*, ſive *erroneas* ita agilis & ſenſilis eſt: neque etiam neceſſe eſt, ut ſenſus *craſſus* & *manifeſtus* eſſe debeat, quoniam *valor* Senſuum in *genere* diſcrepat: interim *ſubtilis* Senſatio non *alterius* eſſentialis qualitatis eſt, quam craſſus

ſus, cum *magis* & *minus* non variet *ſpeciem*: unde *irrita* eſt illa objectio, quod hæc, quam Senſibilitatem nominamus, talis haud exiſtat, quoniam in eadem non ſemper manifeſtæ *craſſæ reflexivæ* perceptiones occurrunt: etenim quo *ſubtilior* & *intimior* eſt Senſatio, eo potentior eſt in ipſo *effectu*: hæc enim Senſibilitas dum objecta & ſubjecta obvia *ſeligit* & *diſcernit*, ex commixtionibus aliorum *ſeorſim* percipit, ad illa *proximius attentionem*, intentionem & reliquam *applicativam* tractationem dirigit, eo ipſo comprobat, quod ſit operatio *animæ rationalis* & haud relationis & receptivitatis, niſus & reniſus *materiæ*: neque enim hæc anima *Senſu* deſtituta eſt in *internis* corporis partibus, teſtimonio *dolorum* abſconditorum, internorum, colicorum, nephriticorum & circa oſſa in perioſtiis &c. *conf. diſp. D. D. Præſidis* de *Senſu vitali*: quibus itaque inſtrumentis *Senſatio rationalis* in organis ſenſoriis *externis* perficitur, iisdem etiam adminiſtratur in *internis* partibus, videlicet *nervis* & membranis, aut partibus *nervoſis*; unde quoad *formalia* requiſita nulla *diverſitas*, ſed potius exacta *conformitas* in Senſibilitate ſic dicta *morali* & *vitali* obtingit: quam ob rem in poſteriori explicatione haud ad *obſcuras*, nihil probantes, *fictitias* & ſuppoſitas cauſas & opiniones confugere debemus: Si conceditur Senſatio *major* & *minor* in corpore *externo* craſſiori & ignobiliori, quam anima *rationalis* perficit, *cur denegatur* animæ *ſimilis* Senſatio in corpore *interno* & partibus *nobilioribus*: ex qua annotatione, breviſſimis prolata, demonſtramus, quod hæc *Senſibilitas animæ rationalis actus* & officium exiſtat.

§. XV.

§. XV.

Hæc Senſibilitas ratione *primæ ſuæ* emanationis eſt vel *connata*, vel *acquiſita* & adventitia: *Connata* illa eſt, quæ per *generationem* & *hæreditatem* propagatur: quare integræ reperiuntur *familiæ*, hac Senſibilitate præditæ, ita ut mox a *teneris* puſiones *diſtincta* tali qualitate præditi reperiantur, in quibus hæc ſemper continuat & in *adultiores* ætates progreditur: ſicut itaque *aliæ* qualitates, ad *morales* & *phyſicos* reſpectus ſpectantes, per *nativitatem* communicantur, ita & hæc *parili* modo *propagari* ſolet; ob id diſcrepant *ex parte* quoad hanc qualitatem *familiæ inter ſe*, quamvis *uno aëre*, *victu* & *potu* &c. fruantur. Sed occurrit inſuper *alius modus*, quo hæc Senſibilitas *ſeorſim* per *hæreditatem* propagatur, quando in *una* familia ſub *numeroſa* prole *uni* aut alteri hæc qualitas implantatur, quando forte *illo* tempore, quo infans quidam *genitus*, aut in *utero* geſtatus fuit, *genitor* aut *mater extraordinaria* eminebat tali Senſibilitate, quæ in iisdem *tranſitoria* quidem, ſed *illo* tempore admodum efficax & *operoſa* fuit; in qua circumſtantia iterum *paritas* occurrit, cum aliis *tranſitoriis* qualitatibus, in parentibus obviis, quæ infantibus per *hæreditatem* communicantur, quales qualitates tamen in parentibus *alio* tempore iterum *evaneſcunt*: Deinde hæc *Senſibilitas* per varias occaſiones *acquiritur*, & quidem partim ratione *Nationis* & *Climatis*, ubi communis illa diſtinctio inter gentes *duriores* & *ſenſibiliores* innotuit: inde etiam conſtat, quod quidam homines in certis provinciis, uti *delicati* ita *ſatis* ſenſibiles & inter illos multi *valde* ſenſibiles inveniantur, id quod in regionibus verſus *meridiem* vergentibus non raro obſervatur, dum in locis verſus *polos* ten-

den-

dentibus ſubjecta *minus* ſenſibilia & valde *dura* reperiuntur: ita porro dantur homines certæ aëris conſtitutioni adeo adſueti, ut cum diſtincta ſenſibilitate *alium* aërem ægre perferant: hanc obſervationem proinde *Noſtalgiæ* affectus quadantenus confirmare & illuſtrare adjuvat; acquiritur inſuper talis ſenſibilitas per miniſtrantem occaſionem *Diætæ delicatæ*, mollis, laxioris, cui vires ita *adſueſcunt*, ut non modo alios & quidem *viliores* & *ſolidiores* cibos peſſime ferant, ſed & *alia* objecta, paulo *craſſius* corpus afficientia, ſimili *averſione* tolerent, æſtiment & tractent: nominantur propterea vulgo tales homines, verwöhnte Menſchen: unde contingit, ut ob talem *quotidie* obviam Diætam natura eximie *emolliatur* & *delicata* ac ſenſibilis reddatur, uti dicere ſolent: man ſey durch die gute Küche verzogen und verderbet: *conf. Illuſtr. Stahlii diſſ. de Diæta* & obſervatio in *Opuſc. Phyſ. chym. med. de Sollicita Diæta*, nec non *Dn. D. Diſp. de Longævitate ex Diæta*: ejusd. *Hygiene*: & quemadmodum ſub Diæta aliquando peculiaris *nauſea* aut affectus *averſionis* excitatur, cum quo non raro moleſti *vomitus* conjuncti ſunt, ita ex hac occaſione peculiaris generatur ſenſibilitas, quæ in *relatione* & *connexione* cum eodem aut conformi ſtat ſubjecto, quod *nauſeam* illam excitavit: ita viciſſim quidam homines ſub diæta adeo delicate certis *condimentis* adſueſcunt, ut dehinc cum magna *ſenſibilitate* hujus ſubjecti *præſentiam*, vel *abſentiam* advertant & *poſteriorem* cum variis moleſtis conſecutionibus proſequantur: Quid *Educatio* ad provocandam & generandam talem ſenſibilitatem conferat, abunde conſtat: Mollis, tenera, *delicata* & valde *indulgens* Educatio in *morali* & *vitali* œconomia *eximiam* cauſatur ſenſibilitatem: ſub *tali* enim

 educa-

educatione oblationi *moralium* & *phyſicorum* obiectorum ita *adſueſcit* anima, ut illorum *carentiam*, aut *contrariam* qualitatem non modo *ſubitaneo* affectu percipiat, ſed & *ægerrime* ferat & æſtimet: Acquiritur denique talis *ſenſibilitas* ſub *morbis:* hinc in *præcedentibus* dictum fuit, quam ſenſiles ſint *Febricitantes*, præcipue in ſenſuum *externorum* uſu: deinde conſtat, quomodo ſub *longinquiori* ægrotatione homines in eximiam ſenſibilitatem *animi* & *corporis* incidant: ſie würden ſehr empfindlich, es könne ſie leicht was hindern und angreiffen, man müſſe ihrer ſehr ſchonen: qualis ſenſibilitas vel ex *tædio longioris* morbi, vel ex ſollicita & *multa* occupatione de *afflicto* ſtatu corporis originem trahit: ex quibus omnibus facile elucescit, quibus viis & occaſionibus *adventitio* modo hæc *intricata* ſenſibilitas acquiri queat: Quo loco brevibus adhuc notamus, quod hujus ſenſibilitatis objecta, *circa* quæ anima verſatur, & *moralia* & *phyſica* ſint; imo quod cauſæ *impulſivæ* ad *acceſſoriam* generationem hujus ſenſibilitatis *ſimilis* qualitatis exiſtant, quæ nunc *proximius* & *directe* ipſam animam, alibi vero etiam *Corpus* & hujus œconomiam concernunt: aſt ne tractatio præſens latius ſe diffundat ſuffecerit hoc brevi & *thetica* quidem commendatione indicaſſe & ulteriorem deductioуem & explicationem cujuslibet attentæ meditationi relinquere.

§. XVI.

Paucis adhuc & coronidis loco, *iterata* velut vice, hujus obſervationis *Practicum* uſum commendamus: Multum vero intereſt hanc peculiarem *perſonalem* qualitatem noſſe, ne illam Medicus *conſiliis* & *auxiliis* ſuis offendat: etenim magnum refert, quo *ſenſibilibus* talibus

Per-

Perſonis *apta* conſilia, tuendæ *ſanitati* quadrantia, ſuppeditentur, ſiquidem talia ſubjecta *cito*, *facile* & *frequenter* in *periclitationes* ſanitatis incidere poſſunt & ſolent, quare pro conditione hujus qualitatis *idonea* ſeligenda & adhibenda ſunt conſilia, ne videlicet hæc ſenſibilitas cum præjudicio *offendatur*, neve cum æquali damno nutriatur, *augeatur* & corrumpatur: etenim ſi *nimis indulgenter* talis ſenſibilitas tractatur, tunc eadem in *talem* ſtatum conjicitur, ut *citius* & *potentius corpori* damna afferat: præſtat itaque in quolibet caſu *mediam* ſeligere viam & ſubinde prudenter anniti, an *ſecura* methodo *præjudicioſa* quædam Senſibilitas corrigi queat: *nimia* enim *conniventia* & indulgentia *funeſtum* rerum eventum accelerat: *judicioſi* itaque Medici officium eſt, ut juxta regulas *moralitatis* aliquando huic Senſibilitati *parcat*, alio tamen *congruo* tempore ad actiones *neceſſarias*, licet ipſi quadantenus *adverſas*, modice admoneat & *invitet*: Haud tamen conſultum eſt, in ullo caſu illam *moroſe* & *rigoroſe* coercere velle, vel remediis *fortius* motus incitantibus, aut *craſſius* illos obruentibus & ſupprimentibus, velut adſtringentibus & narcoticis, qualia medicamina repentinos & *peſſimos* effectus cauſantur: directe ſenſibilitati *reniti*, *nunquam* conſultum eſt, quoniam ex in æque *ſubitaneæ pravæ* morborum mutationes oriuntur: quam ob rem *curatiori* & attentiori inquiſitione medici haſce ſenſibilitates in ægris ſuis explorant & ſcrutantur, ne ex negligentiori illarum indagatione quicquam committant quod in *corrupto* ſuo ſtatu *difficulter* poſtea *emendari* poteſt: Præſtat præterea huic *præjudicioſæ* ſenſibilitati, *moralibus* & *phyſicis* auxiliis ſubvenire: quare prudentis etiam Medici cha-

 racter

racter eſt, ſi congruis *perſuaſionibus* & admonitionibus ægris ſuis ſuccurrere poteſt: *Multa* medicamenta talibus perſonis *haud* proſunt; quare ſingulis aut alternis horis ipſis eadem propinanda non ſunt, quoniam ſub *tanta* remediorum mole ipſarum *vires* facile ſuccumbunt: plurimum illis conducunt remedia, quæ ex *diætetico* fonte *alimentoſam* & *medicamentoſam* conjunctam habent virtutem, quippe quæ *delicato* ſenſui naturæ *magis accepta* ſunt, inſimul etiam *vires* ſubjectorum perquam *levant*, dum *nude* medicamentoſa plus naturam *obruunt*, effectus quosdam magis *cogunt* & vires inſuper valde *proſternunt*: *pauca* & *lenia* remedia in Senſibilibus magis proſunt; neque etiam convenit *ſimultaneos* & *copioſos* excretionum ſucceſſus proritare, ſed potius *lenes* & *ſucceſſive* per convenientia intervalla procedentes *evacuationes* promovere: interea multum juvat, ſi *interpoſitis* vicibus apta *nervina*, aut *motus ſublevantia* & reficientia ordinantur: omnium *maxime* vero intereſt in *quolibet* morbo exquiſitum *ordinem* & *congruam methodum* obſervare; quo plus enim *hæc* in Senſibilibus perſonis *offenditur*, eo certius & citius *ſiniſter* & *pravus* invitatur effectus; quando circumſtantiæ requirunt, ut in Senſibilibus perſonis *motus* paululum *intenſiores* ſuſcipiantur, tunc pro *ſecuriori* proſecutione finis, remedia *roborantia* reliquis combinanda erunt, ſiquidem communiter tales perſonæ de *viribus* ſuis ſollicitæ eſſe ſolent: ſenſibilia ſubjecta nunquam *rigoroſe* & legaliter, ſed cum conceſſa quadam *libertate* tractari volunt; quam ob rem *Regimina placida* ipſis in omnibus morbis ordinanda ſunt: quicquid ad *erigendum animum* in talibus ſubjectis conferre poteſt, id non parum ad moderan-

deran-

derandam *præjudicioſam* ſenſibilitatem contribuit: omnia *nova* experimenta & medicamenta *Heroica* ſenſibilibus ſunt *infenſa:* omnia conſilia & auxilia *ordini naturali* propius accedentia, *plus* emolumenti promittunt: & quoniam in ejusmodi ſubjectis utplurimum *motus magis*, quam materiæ, *vitio* laborant, ita illis ſecure *mitigandis* peritus medicus ſedulam operam impendere debet: Hæc ſunt quæ breviſſima & *aphoriſtica* commendatione de *uſu Practico* hujus thematis proferre placuit: aſt abrumpimus filum, licet hæc obſervatio ampliſſimum campum habeat; hinc confitemur, quod præſenti labore *fundamenta* poſuerimus, quibus prudentes & a *præjudiciis* liberi obſervatores ulteriori ſtudio firmiter niti poſſunt: Faxit Deus feliciter: Huic ſummo rerum noſtrarum Directori devotiſſimas perſolvimus gratias, quod præſenti conatui gratia ſua cœleſti adeſſe voluerit: eundem etiam humillimis imploramus precibus, ut omnibus noſtris propoſitis ſalutarem & exoptatum largiatur

F I N E M.

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R Æ S E S.

REgulis Juris annumeratur illa ſententia, quod *Subtilitates ſine utilitate non ſint ſequendæ L. 7. in fin. C. de inſtit. & ſubſtitution.* Idem in Stu-

dio & Stadio Medico attenta mente obſervandum eſt, in quo ſæpe fungi pro Cerebro & tenebræ pro Luce, fumus pro auro & figmenta pro veritatibus venduntur, quæ ſingula licet ſub velamento perſpicuæ demonſtrationis & indubiæ utilitatis coruſcent, tamen præter caſſas voces & nudas theſes nihil ſolidi certive complectuntur: quam ob rem non pauca aſſerta ſtentoreis ampullis & ſesquipedalibus declamantur verbis: Quantum valeat antiquorum medicorum Symbolum ὁ ἄριστα γνοὺς, ἄριστα θεραπεύει, præter Hippocratem & Celſum, ex recentioribus *Langius Miſcell. curioſ. XXXIV. §. 87. p. 102.* teſtatus eſt: non quæ curioſa, propterea fructuoſa ſunt: ſed quo curioſior & ſubtilior, eo otioſior & inertior eſt opinio: aſt verus character dubiæ & fallacis eſt ſententiæ, quando certæ hypotheſes neque cum re, neque cum applicatione ad rem cohærent, hinc varii paralogiſmi, petitiones principii & contradictiones fluctuant: *O* vero *beata labia, quæ nunquam, quod revocare velint, emittunt*, dixit *Hieronymus de laud. Virg. Omnis quidem ſpeculatio noſtra quadam caligine non caret*, ait *Th. a Kempis de imit. Chriſt.*

Lib.

Lib.1. c. 3. n. 4. aſt tenebræ in omni meditatione obruunt illorum mentes, quando in ſpeculationibus incongruas tales ſubtilitates ſectantur; Homo ex Anima & Corpore factus eſt vivus: ſi vero vita in nudo corpore quæritur & anima nugacibus & odioſis metaphyſicis meditationibus ſubjicitur, ſubtilis inde, aſt infructuoſa & nullo modo imitatione digna provenit opinio. Animæ operationes a corporis œconomia moroſo animo ſeparare velle, idem eſt ac ordinem divinitus inſtitutum invertere & humanum commentum obtrudere velle: In Spirituali Regno carnales homines nullo elogio digni reperiuntur: in Regno naturæ homines tantum corporei, ſunt chimæræ & entia petulantis phantaſiæ: neque eſt, cur adeo ſibi ſapiant placeantque, qui animæ manifeſtum influxum in proceſſum vitæ tenaciter negant, cum in ſubtilitatibus & curioſitatibus corroſarum novitatum, nihil probant, ſed confuſum magma proferunt. Tu *Nobiliſſime Dne Candidate* argumentum pro Inaugurali Specimine ſelegiſti, magni momenti, quod Animæ vim in ſuum corpus perſpicue comprobat, imaginarios vero

con-

conceptus de ſupervacaneis & nihil demonſtrantibus materiarum viribus ac abſoluta illarum neceſſitate in negotio vitæ animalis declamatis, declinas ac infringis: etenim obſervatio de Senſibilitate Perſonali tam in facti, quam cauſæ veritate ſatis clare demonſtrata proſtat: aſt licet juxta *Grotium homini pertinaci nil ſatis clarum exiſtat*, tamen capiant hanc explicationem qui poſſunt. Tibi bona vota trado de exantlato proſpero & bono Studiorum Academicorum curſu & quod ſepoſitis inutilibus curioſitatibus ſimplici, veræ & ſinceræ veritati animum Tuum dicare volueris: ſequere hanc viam, ita cum multis aliis non revocabis, quæ ſemel meliori luce agnoviſti: confirmet & augeat haſce veritates cœleſtis bonitas in indole Tua, efficiatque, ut innumeri ſalutares conſequantur effectus; quod reliquum eſt, omnia alia fauſta & accepta Tibi apprecor & ut honeſtos Tuos conatus benedictio divina ſaluberrimis ſucceſſibus comitetur, propenſo affectu voveo. Vale. Dab. e Muſ. IV. Nonar. Majas A.O.R. cIɔ Iɔ cc xxx.